DE JOSEPHO EXONIENSI VEL ISCANO: ACCEDUNT DE BELLO TROJANO POEMATIS LIBER...

Jean Jules Jusserand

DE JOSEPHO

EXONIENSI

DE JOSEPHO
EXONIENSI
VEL ISCANO

THESIM PROPONEBAT

LUGDUNENSI LITTERARUM FACULTATI

Jean Jules
J. J. JUSSERAND

ACCEDUNT DE BELLO TROJANO POEMATIS LIBER I,
NECNON NOTULÆ, SÆCULO XIII CONSCRIPTÆ,
NUNC PRIMUM E CODICE MANUSCRIPTO
IN NATIONALI BIBLIOTHECA ASSERVATO, DEPROMPTÆ

For he enlumineth by crafte and cadence
This noble storye with many freshe coloure
Of rhetorick, and many ryche flouer
Of eloquence to make it founde the bell.

LYDGATE (*The Troye Boke*).

PARIS
LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie
79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1877

DE JOSEPHO EXONIENSI

Hos inter scriptores qui, ad oblectandos animos, veterum heroum facinora versibus cecinerunt, Josephus Exoniensis non primum quidem, sed tamen non inglorium locum occupat. Latino nimirum carmine « bis adactam cladibus urbem, » Trojam scilicet, post Virgilium Homerumque, duodecimo sæculo in Angliâ natus, celebrare ausus est. Etsi poeta noster amplam simul ac simplicem, splendidiorem modo, adstrictis modo verbis jucundam veterum loquendi consuetudinem non assecutus est, singularibus nihilominus ingenii dotibus præstat, eæque cogitationes apud eum occurrunt, quæ antiquis tempori-

bus minime usitatæ, recentiorum propriæ esse nobis videntur. Primus porro, ætate suâ, inter optimos, romanarum græcarumque litterarum, quæ summâ in oblivione jacebant, memoriam, pro virili parte, et retinere et renovare tentavit. At romanorum vestigia pressius ipse sequi noluit; sed anglus, ad anglorum francorumve quibuscum vitam egit, delectationem; christianus, ad christianorum oblectamentum scripsit. Non latinis itaque, sed anglis francisque poetis conferri debet; Josephumque cognoscere et in operibus ejus versari qui cupit, alia ejusdem temporis carmina hominumque ingenium haud secus atque ipsa Josephi poemata non ignorare debet. De æqualium ideo, quum studiis, tum moribus pauca priùs explananda sunt quam initium de poetâ nostro scribendi faciam.

I

« Ducere animos solent fabellæ, » dixit Quintilianus : homines enim semper scriptorum commentis delectati fuerunt, hisque quum felices tum miseri *jucunda oblivia vitæ* duxerunt. Nam ficta eo magis nos juvant quo frequentioribus gravioribusque procellis afflicta fortuna nostra luctu majori animos imbuerit. Philosophiam et poetarum carmina mœstus post Reipublicæ casum colebat Cicero ; bacchantibusque Romæ imperatoribus,

Quum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni [1];

aut serius, quum de imperio decertarent undique legionum duces, quisquis liberum et haud insulsum animum adhuc retinebat,

[1] Juvenalis, Sat. IV.

Lucani Statiive inventis, Martialisve nugis, longum aliquantisper dolorem oblitus, delectabatur.

At civibus suis ab omni parte ficta in carminibus præbere non semper potuerunt poetæ : illi enim, etiam quum vacuis, sed gratiosis narrationibus animos oblectare tentabant, inviti, pristinos mores in libro suo minime depingebant. Ille igitur qui veterum gesta narrare et majorum mores optime noscere cupit, antiquorum poetarum carmina non minus quam annales perlegere debet. In his enim picturas invenit ad vivum depictas multaque ediscere potest quæ etsi minutissima pleraque et inutilia quibusdam prius visa sint, ætate tamen nostra, a rerum scriptoribus justæ notitiæ dignissima merito habentur. Quum igitur jam mirabilibus aut forte stultis fabulis nova et sæpe insana ficta inseruerint, poetas a vero et æquo maxime abhorrere crederes, tum etiam, si ad studium rei æquam mentem intenderis, eos rerum et, ut ita dicam , æqualium ipsorum imaginem non falsam, sed veram, non fictam sed certam nobis ante oculos posuisse facile intelliges.

Itaque permulti inter æquales nostros ad

studium veterum carminum, quibus olim delectati fuerunt proavi nostri se contulerunt. Longissima hujus generis poemata typis nuper mandata fuerunt *historiæ*que seu romanæ, seu ad Carolum Magnum, seu ad Arthurum pertinentes, nunc leguntur, ab iis præsertim qui manuscriptis codicibus uti non poterant. Ita, non modo eruditi, sed illi etiam, quicumque sint, qui bonis artibus favent, in studio *mediævalium* litterarum versati sunt. Operæ enim pretium est fabulas quas sæculo XII vel XIII poetæ civibus suis toto pectore amplectendas, proponebant, fabulis conferre quibus scriptores nostri, pedestri sermone plerique usi, præsenti tempore, animos trahunt. Nam quemadmodum ex illis, quæ fuerint olim Gallorum aut Anglorum mores et studia discere possumus, ita in his ad vivum depictam ætatem nostram cernimus. Qui vero, tali recensione, majorum et recentiorum virtutes et vitia recolere et conferre vellet, ea tantum notans quæ de scriptis hauriuntur, nos forsan nec meliores, nec majori sapientia vel mente magis sana præditos inveniret. Ad optima sane tendere videmur et elatos sensus affectamus. Stellam nempe no-

vam qua duce novum iter ingrediamur nos quærere dixeris, dum mœsti variisque casibus afflicti, omnia incerta fluxaque esse credimus, illorum Græciæ vel Romæ civium æmuli, qui, cadente patria, et priscam proavorum fidem et virtutem amiserant. Humi enim sæpius jacet afflicta prostrataque mens nostra; deficiunt vires; pauci, inter multos homines, viri nomine digni, vix munerantur, neque amplius intelligitur avorum illud : *Sursum corda*. Quod si vero quid, hisce temporibus, velint, credant, sentiant æquales nostri requiras, sexcenti scriptores responsum afferunt, et inviti sæpe, dum ficta narrant propriisque gaudent adinventionibus, nostras virtutes, et, eheu! vitia sæpius nostra posterorum judicio exponunt. Dies sane scribæ deficiet priusquam auctorum istorum nomen tantum calamo notaverit. Sed dum in antiquis scriptoribus fabulas, non doctrinam, reperimus, dum bona vel mala, in medii ævi poematibus, vel nesciente ipso poeta, proferuntur, æquales nostri non ad narrandum modo, sed etiam ad probandum scribunt, fabulisque suis saniores animos præstare contendentes, lectorum sæpissime animos in

deterius vertunt. Mores profecto nostros sæpius ut in theatro proponunt nosque prope nudos ostendunt; sæpius quoque, dum agentes personas audimus, vel fictis narrationibus delectamur, mente nostra conscii vulnera nova accipimus, et falso medico venenosa remedia afferenti, favemus.

Quæ quum ita sint, pristinorum annorum memoriam recordari dulce nobis videtur. Vitæ quidem commodis aut faciliorum morum sermonumve illecebris proavi nostri delectari non poterant, tamen feliciores, *mentem sanam in corpore sano* gerebant. Non auream sane, omnibusque miseriis vacuam ætatem illam priscis in temporibus repono, quod nusquam gentium, nisi in poetarum carminibus, exstitit, sed sorti illorum qui dolores illos, quibus angimur, non passi sunt, haud immerito invideri posse credam: quamquam enim permulta et ipsos mala invaserunt, leviora tamen fuerunt, quæ, in corpore pleraque locata, puram saltem intactamque mentem et fidem reliquerunt. Utrum tamen merito necne, pristinorum temporum nos incesserit desiderium, tibi, benignissime lector, discernendum relinquam.

Nostros et avos quid sentirent, quid crederent aut desiderarent fictis poetarum carminibus vel scriptorum quorumdam historiis aut dissertationibus mandavisse mihi sufficiet. Quum enim e tenebris, post romani imperii casum, ætas nova surrexit, musa nova novos hominum dolores, luctus novos, gaudia quoque nova cecinit. Mutatis omnibus, in mediis ruinis, ferox sed fortis, prope barbarus, sed impavidus, vir stabat, corpore menteque robustus. Ad bellum a pueritiâ instructus, fidissimum habebat comitem gladium; in castris versabatur, in certaminibus, et nihil in terris armorum clangore jucundius ducebat. Quum vero, aut pacis aut morbi causâ, tecto sub patrio, otiosos agebat dies, tum pugnarum memoriâ, tum bellicis carminibus, tum nobilibus errantis poetæ, qui arma et ipse forsan gesserat, versibus eques admodum delectabatur. Intenti interdum heroum fortunas et varios casus et prælia et amores et victorias, omnes audiebant, læti ad focum, dum late per campos terra sub nive latebat. Inde majori studio ista carmina proavi nostri dilexerunt; inde etiam fere innumera ejusmodi poemata condita fuerunt.

Avorum gloriam præclarissimaque virorum suorum facinora cantu primi prosecuti sunt Britones; qui, quum diversis in locis, magnopere remotis, inimicâ fortunâ, apud Anglos alii, alii vero apud Gallos, castra primum, urbes deinde posuissent, ex eadem stirpe ortos, se, parum dissimili sermone, similibus studiis et moribus et ingeniis, testificabantur. His patriæ aut paternarum potius rerum maturus semper fuit amor; militari gloriâ et carminibus quibus militaris ducum laus augeri et in posterorum memoriâ propagari posset præsertim delectabantur. Heroas autem longe ante alios, omnibus exemplum

habendum, inde celeberrimum, qui vitam in obscuro egerat, Arthurum suum ducebant. Hunc et patrem illi et patronum habere et liberatorem sperare, ita ut quo majus eorum in gloriam et libertatem fuerit studium, eo major Arthuri fama facta fuerit. Inde Josephus ille noster :

> Sic Britonum ridenda fides et credulus error
> Arturum expectant expectabuntque perenne [1]

Neque in Britannis tantum regionibus notissimus fuit ; sed ab omnibus etiam mox heros acceptus est heroumque maximus[2], nullamque laudem ei defuisse crediderunt : quo Alexandri Carolique Magni æmulus factus fuit regulus iste, a poetis qui quum Carolum tum Alexandrum forsan ignorabant. Vana mirandorum, sed fictorum, facinorum memoria ; laus unica tum ab inimicis tributa, tum ab amicis celebrata, immensum quoddam, mortuo, imperium pepererunt, animorum dico, quos ad regendos, si tantum boni

[1] *De Bello Trojano*, lib. III, v. 472.

[2] Ipse enim Josephus Exoniensis in *Antiocheide*:

> Hinc celebri fato, felici floruit ortu,
> *Flos regum Arthurus.*

Vide Warton, *History of English Poetry* ; Hazlitt Edit. 1871, tom. I, pag. 229.

et generosi haberi optarent, summus arbiter exemplumque summum, communi omnium consensu, electus est.

Arthuri dum fama Galliam Angliamque invadebat, Caroli Magni nomen, a Germanis præsertim, celebrari cœpit. Qui quum in carminibus, quæ *cantilenas*[1] vocarent, multa ejus clarissima facinora, pleraque ad libitum ficta, consignaverint, eamdem insignem quam et Arthuro Britanni, Imperatori carissimo, famam attulerunt. Vera vanaque ad majorem herois famam et ut melius in exemplum posteris proponatur, quam sæpissime mixta, viros, dum vitæ eis oblivia præbebant, virtutem docuerunt. Castrorum exercituumque motus, certamina et orbem universum Caroli plenum nomine et victorias innumerabiles, novi, ut Arthuri, præcones celebravere. Nulla enim alia, nisi bellica, poeticis committenda libris, neque ulla præter illa Taciti operi toti præponenda censebant : « Opus aggredior opimum casibus, atrox præliis, discors seditionibus, ipsâ etiam pace sævum[2]. » Quare, recentissimam herois obliti historiam,

[1] Vide Benedictinorum *Histoire littéraire de la France*, tom. XIX, p. 626.

[2] V. Taciti *Historiarum*, lib. I, cap. II.

stupendis numeroque infinitis facinoribus et mirificis casibus narrationem obruerunt. Inter medios, ut ita dicam, deos, et ipse tantum non deus, spectandam vitam vivebat Imperator. Dæmonibus illis qui *fadæ larvæque* aut *lemures* aut *sagæ* dicuntur circumseptus ibat, ab istis modo adjutus, modo vexatus, dum bella plus quam humana, prope divina, agebat Cæsar [1].

Neque istæ poetis fabulæ satis fuerunt. Illarum crescente studio, Græcorum Latinorumque imperatorum meminerunt et eodem modo quo Carolum vel Arthurum, eos sæpissime celebraverunt. Non adhuc extincta erat Achillis, Ulyssis Hectorisque fama neque oblivioni datæ erant patris Æneæ variæ variis in locis fortunæ; Virgilii vero aut Homeri carmina non vulgari usu terebantur [2] et nil eorum, præter nomen forte, haud ignotum

[1] De Carolo Magno poematis cujusdam inscriptio, quantum a veritate abhorrerent scriptores, ad monstrandum mihi sufficiet. Nam apud De la Rue, carmen, undecimo vel duodecimo sæculo, ab ignoto quodam exaratum esse videmus, qui hæc operi præposuit : « Ci commence li livere cument Charles de France voiet en Jérusalem, et pur paroles sa femme à Constantinople pur ver roi Hugon. » *Essai sur les Bardes, Jongleurs et Trouvères*. Lib. III tom. II, pag. 24.

[2] De Bruti itinere per Galliam Homeri testimonium commemorat Galfridus Monumetensis in *Historiâ* suâ *Britonum*, lib. I, cap. XIV.

adhuc remanebat[1] ; memoria tantum clarissimorum certaminum conservabatur ; et, temporum linguæque morumque obliti, civium suorum ad effigiem, veteres heroas novi poetæ cecinerunt, denuoque floruit stirps illa Agamemnonis « *nunquam* », ut aiunt, « *peritura.* »

His quam sæpissime laudatis ducibus, Carolo scilicet Arthuroque, gratiosum comitem et popularibus acceptum, præclarissimum illum cui Homerus quidam Virgiliusve deerat, Alexandrum dico, adduxerunt. Ille quoque avis nostris ad laudem comparandam, et principium fuit, ut ita dicam, et fons. Ei etiam viros quosdam, in latinis historiis carptim lectos, Cæsarem vel Pompeium; alii vero Brutum, Darium alii, Philippum aut Parthonopeum adjunxere; quæ omnia, licet Græca Persicave, aliquatenus videantur, Romana tamen, Romana tantum, quum legentibus, tum scribentibus semper fuerunt. Neque minus fadarum larvarumque aut sagarum auxilio adjutos quam Gallicos Britannosque heroas eos ostenderunt[2]; quippe qui nulla alia, præ-

[1] Vid. G. A. Heinrich. *Histoire de la Littérature allemande*, tom. I, cap. III, § I, *De Cyclis*, pag. 163 et seq.

[2] Vid *Histoire littéraire de la France*, tom. XIX, pag. 627 et seq.

ter sua, ipsorum ingenia, mores, vestes, habitus, virtutes, cupidines aut desideria, horum fuisse crediderunt.

In tres partes quas *Cyclos* vocaverunt illa omnia diducuntur, Arthurique, Caroli atque Romæ nomen cycli isti acceperunt; nam, ut ipsius Joannis nostri Bodel verba usurpem,

Ne sont que trois matière à nul homme entendant,
De France, de Bretagne et de Rome la grant[1].

[1] Vid. Bodel, *La Chanson des Saxons*, et Chassang, *Histoire du Roman.... dans l'antiquité grecque et latine*, Paris, 1862, 8°, Pars III, cap. VIII, pag. 440.

III

Prima ejusmodi carmina e Britannis poematibus[1] latino sermone versa fuerunt, latineque Josephum Exoniensem ipsum scripsisse videbimus. Plerique enim eorum qui calamo uti et litteris optimisque artibus indulgere poterant, latinam linguam, ante omnia, primum ediscebant, *clerici*que, si proprio hujus temporis verbo uti licet, appellabantur. Omnium tunc litteratissimi, monachi, soli fere antiquos scriptores non ignorabant neque humaniorum artium plane inexperti

[1] De la Rue, *Essai sur les Bardes, Jongleurs et Trouvères*, tom. I, lib. I, pag. 43 et seq.

erant. Rudis autem atque indocta plebs ignotam illam, vanam et inutilem priorum spernebat dicendi facultatem : pro sigillis interdum gladium habebat eques nomenque suum eamdem illam manum scribere nolebat quæ ad nobiliora belli facinora, ab ipso Deo instructa parataque videretur. Qui igitur primi liberalissima studia exercuere politiorique carmina condere stylo tentaverunt, magistros habuerunt monachos, et, ab iis, quod tum prope fundamentum erat et scientiarum et litterarum et artium et philosophiæ, latinam scilicet linguam, didicerunt. Quid enim humili vulgarique plebis sermone usi essent qui rem magnam memoriâque dignissimam, veterum ad exemplar, modo antiquo, sibi dicendam proposuerant? Nonne iis, qui tales ac tantos celebrandos habebant viros, quique, multo cum sudore, antiquorum poetarum (aut æqualium potius theologorum) verba sibi propria fecerant, rudiorem, *profani vulgi* sermonem reputare licebat. Quod si vero, viles dicendi modos, at certe non « *ampullas et sesquipedalia verba* » projecerunt; sed, ad summum eloquentiæ, quo rapidiori passu pergere optabant, eo magis grandia loque-

bantur et ore pleno verbosas sententias emittebant.

Mutatis verum temporibus, Ciceronis, vel etiam Boethii voces paulatim ab omnibus ignoratæ fuerunt; et simul, non a monachis tantum, sed a nobilibus præsertim, a quibus et præsidium et decus et panem accipere potuissent, intelligi cupierunt poetæ. Faciliori itaque omnium sermone usi sunt, plaudenteque plebe, plaudente equite, plaudentibus prope omnibus, haud secus atque Galli, Germani vel Angli cives sui locuti sunt, et aquas tandem bibendas præbuerunt, quæ neque « *Græco fonte ceciderint,* » neque latino. Nova vero molientes, ut solet, spreverunt primùm, dehinc imitati sunt, neque optimo illo Dionysio Pyramo, qui tam lepide, Gallico sermone, de Parthonopeo Blesensi scripsit, contigit vituperantium notas vitare, quod ipse memorat :

> « Cil clerc dient que n'est pas sens
> Qu'escrive estoire d'antif tens
> Quant je nes escrit en latin
> Et que je perc mon tans enfin[1]. »

[1] *Partonopeus de Blois.* Lutetiæ Parisior. 1834, Crapelet edid.

Illi autem qui gallicâ, non latinâ linguâ utebantur, haud « stulti » quidem mox habiti sunt; eoque tempore maxime cyclici poetæ floruerunt. Istorum tandem carmina, temporibus nostris, in honorem, longum post oblivium, venerunt; ne vero in re notâ propositoque inutili multus sim, quæ ad Arthurum Carolumve Magnum spectant, linquam; de poetis autem qui *Romanam materiem*, eodem fere tempore quo Josephus Exoniensis, ornandam elegerunt, pauca dicam.

Jam apud antiquos viri quidam, haud sine ingenio certe, Alexandri vitam fabulis ornare cœperant; illi autem, imperio romano ruente, aliquid novi, ad exemplum pristinorum philosophorum, qui propriæ quidem aut aliorum menti studebant, creando impares, fictis portentis vanisque miraculis veterem nobilemque rem renovare tentaverunt. Miranda isti pro vero dederunt, omniumque primus celeberrimus ille Quintus Curtius, qui tamen, quum stupendos Alexandri casus narraret, non potuit quin omnia quæ diceret non semper credere se fateretur : « Equidem, ait, plura transcribo quam credo : nam nec affir-

mare sustineo, de quibus dubito, nec subducere quæ accepi[1]. »

Multi inde eamdem Alexandri vitam, quàm ornatissime poterant, scribere; neque ulla alia, vanas præter nugas, ornamenta ducere; grandibus verbis inaudita narrare; ea recipienda nobis illi afferre, qui, ni insanos, lectores suos haberent, insani ipsi a lectoribus habendi essent.

Eos inter omnes, famâ prævaluit, quod ante omnes variis maxime fabulis refertam materiem præbuerit, rhetor ille qui, de Alexandro græce scribens, Callisthenis nomen assumpsit[2]. Macedonum ducem potentissimum cui et fluctus et montes parerent cujusque nemo nihilque in terris recusare juga posset, induxit. Hunc videmus Oceanum jussu dividere et per medias aquas, absentibus navibus, iter facere; ipsos etiam montes, jubente Alexandro, moveri viamque ingredi miramur.

Ejusmodi de Bello Trojano permultas habemus historias; primi talia scribendi initium fecerunt Græci, quos Romani imitati

[1] Lib. IX, cap. II.

[2] Cujus nomen fuit, De la Rue judicio, Simeo Seth. Vid. *Essai sur les Bardes, Jongleurs et Trouvères*, lib. III, pag. 343 et 344.

sunt. Fictarum præsertim fabularum summum fuit studium apud Alexandrinos, qui, animo dum obsequebantur, veri tantum illecebris allectos se calamum sumpsisse proclamabant. Non poterant enim quin, indignantes, Homeri, quem « captæ Trojæ longum post tempus » viventem Græcorumque cupidum denunciabant, mendacia vituperarent. Haud etiam eum, viri prudentissimi, divos inter se et adversus homines induxisse pugnantes, æquo animo, patiebantur; sit in exemplum Philostrates qui hæc omnia notat in *Heroicâ* suâ[1].

Duo vero exstant de Bello Trojano scripta quæ præsertim plausus et imitatores sibi pepererunt; quibusque Daretis Phrygii Dictysque Cretensis nomen inscribitur. Rhetores autem qui libros istos confecerant, auctoritatem commenticiis rebus adjungere tentaverunt : qui quum ea ipsi scripsissent, illâ ætate quâ jam ad ultimum casum citius præcipitem ferri Romam cernere erat, tum, ex his historiis, a Cornelio Nepote alteram inventam et in

[1] Vide Chassang: *Histoire du Roman dans l'antiquité grecque et latine ;* Pars III, cap. V.

latinum ab eo e græco conversam [1], alteram vero in ipso Dictys sepulcro, casu, a pastoribus repertam finxerunt [2]. Haud verum se non illas quæ, vel Augusto vel Tiberio, sed istas contra quæ Honorio aut Valentiniano regnantibus, usu receptæ erant voces legisse animadverterunt. Quæ quum ita sint, in his, proavi nostri libidinem habuerunt istisque poetarum suorum carminibus diu lætati sunt; auctores inde gravissimi Dares et Dictys, eo tempore, ab omnibus habiti sunt; neque alios, ad Trojam capiendam, duces voluit noster ille Josephus; neque pretii minoris, apud lepidissimum illum qui gentem

[1] « Quum multa Athenis studiosissime agerem, inveni historiam Daretis Phrygii, ipsius manuscriptam, ut titulus indicat, qui de Græcis et Trojanis memoriæ commendatur. Quam ego summo amore complexus, continuo transtuli. Cui nihil adjiciendum vel diminuendum rei formandæ causa putavi, alioquin mea esse posset videri. » Cornelii Nepotis Sallustio Crispo *Epistola*, Daretis Historiæ præposita. *Amstelædami*, 1702, pag. 257.

[2] « Verum secutis temporibus, tertiodecimo anno Neronis imperii, in Gnoso civitate terræ motus facti, cum multa, tum etiam sepulchrum Dictys ita patefecerunt, ut a transeuntibus arcula viseretur. Pastores itaque prætereuntes quum hanc vidissent, thesaurum rati, sepulchro abstulerunt : et aperta ea invenerunt tilias incognitis sibi litteris conscriptas..... Quumque Nero cognovisset antiqui viri, qui apud Ilium fuerat, hæc esse monumenta, jussit in Græcum sermonem ista transferri : e quibus Trojani belli verior textus innotuit » (Dictys Cretensis *de Bello Trojano*. *Amstælodami*, 1702. Præfatio.) Tanta de anno locoque cura plane ridenda est.

Anglam primus ad Parnassum duxit, Chaucerum, isti fuerunt. Daretem enim, in suo *Famæ Templo*, juxta Homerum, in altissimâ columnâ, ejusdem gloriæ jure participem, collocavit :

> And by hym stood withouten lees
> Ful wonder hye on a pilere
> Of yren he the gret Omere
> And with him Dares and Tytus
> Before, and eke he Lollius,
> And Guydo eke de Columpnis,
> And Englyssh Gaunfride eke ywis,
> And eche of these, as have I joye,
> Was besye for to bere up Troye ;
> So hevy therof was the fame
> That for to bere hyt was no game[1].

Ne tamen jucundiori virtute quâdam eorum dicendi genus laudem tantam meruisse credas ; plane rudes et inopes esse, ita ut vix historiam, sed historiæ potius exile brevissimumque summarium scripsisse videantur, eos accipe; quod ad ostendendum pauca sufficient : his enim verbis quo modo indutiæ factæ sint et permulta alia indicat Dares :

« Priamus concilium cogit, indicat Argivorum legationem. Troilus negat dari tam

[1] *The House of Fame*, lib. III, vers. 375, Edit. Morris.

longo tempore inducias, sed potius impressionem fieri, naves incendi. Priamus quid cuique videatur dicere imperat. Omnibus placitum est, debere fieri quod Argivi petunt : tunc sunt induciæ in sex menses. Agamemnon honorifice suos sepeliendos curat : Diomedem, Menelaum saucios curat. Trojani æque suos sepeliunt[1]. »

Josephus attamen pro Homero Daretem habuit, habuitque etiam Benedictus a Sanctâ Maurâ. Hic de Bello Trojano interminatum prope poema scripsit, cujus codices in multis bibliothecis, minutis optimisque picturis sæpissime ornatos, habemus[2]. Fabulæ nempe rudium et indoctorum hominum scientia sunt[3]; illis res antiquas discunt; illis meliores fiunt. Istis quidem ipsi reges, antequam Henricus noster quartus « doctrinam suam totam a Plutarcho acceperit, » veterum exempla sibi nota faciebant[4]. Benedictum quidem imita-

[1] *De Excidio Trojæ*, cap. XXXI.

[2] Vid. codic. 782, 60 et 1610 in Nationali nostrâ Bibliothecâ.

[3] « Tales are the learning of a rude age. » Warton : *On the Gesta Romanorum.* — *History of English Poetry*, tom. I, p. 238.

[4] In Nationalis Bibliothecæ cod. 60, ea nota legitur : « Le roy le prist quand il alla au mont Saint-Michel. » Vid., *Histoire Littéraire de la France*, t. XIX, p. 668 et P. Paris, *Les Manuscrits François de la Bibliothèque du roi*. tom. I, pag. 67.

tus est Germanus Henricus Veldigensis qui, quum Coloniæ Trajanæ, anno 1175, viveret, de Æneâ præcipue, cujus fata narraverat quoque poeta noster[1], et de Laviniâ scripsit; paulo post Herbor Frizlarensis Conradusque Herbipolensis, annum circa 1200, Bellum Trojanum, Germanâ linguâ canebant[2].

Italos quoque rem illam non oblitos invenimus; Guido enim de Columna, aut ipsius ut verbis utar, « Gwydo de Columpnis, » Benedictum a Sanctâ Maurâ, Dareten Dictinque imitatus est in *Historiâ* suâ de *Bello Trojano*[3], quam latino pedestrique sermone scripsit. Ipsum etiam mox imitati sunt permulti, quibus non minoris fuerunt ejus sententiæ, quam ipsa Daretis dicta : inter illos profecto Lefevrum nostrum[4] non omittam

[1] Scripsit Benedictus de bello Thebaico, de bello Trojano et de variis Æneæ fortunis. Vid. in Nationali Bibliothecâ, cod. 60 inscriptionem : « Ci commence li roumans de tièbes qui fut racine de troie la grant... — item toute listoire de troie la grant... — item toute listoire de Eneas et dancises. » Quæ omnia eodem ex fonte fluxisse, etsi libro tantum de Bello Trojano Benedicti nomen inscriptum sit, videntur.

[2] Vid. Heinrich, *Histoire de la Littérature Allemande*, tom. I, cap. III.

[3] *Historia de Bello Trojano*, Coloniæ, 1477, 4°.

[4] « Cy commence le volume intitulé le recueil des histoires de troyez, composé par vénérable homme Raoul le feure prestre, chappellain de mon très redoubté seigner, monseigneur le

Anglorumque celeberrimum Lydgatium. Hic enim vertere tantum, e latinis historiis, quod scribit fatetur idque in quinto libro suo sic notat :

> « I have no more of Latin to translate
> After Dytes, Dares and Guydo[1]. »

Guidonem juxta Homerum, in suo *Famæ Templo*, Chaucerum posuisse supra vidimus[2].

His permultis scriptoribus permultos addere possem qui, civium suorum fata a primis originibus narrantes, Trojanum quemdam ducem totius gentis stirpem fuisse (pro virili parte, saltem) ostenderunt et a Trojâ captâ, quod « *ab ovo*, » dixisset Horatius, Annales ad tempus suum duxerunt. Neque etiam soli se Trojano sanguine ortos jactabant proavi nostri ; sed Arvernorum etiam ejusmodi *audaciam* notat Lucanus :

> Arvernique ausi Latio se fingere fratres,
> Sanguine ab Iliaco populi[3].

Quum vero Angli tum etiam Galli aut Itali,

duc Phelippe de bourgongne, en l'an de grace mil. iiij^{c}. LXiiij. » Cod. in Nationali Bibliothecâ, 59.

[1] *The Hystorye, Sege and Dystruceyon of Troye*, lib. V.

[2] *The House of Fame*, vers. 382.

[3] *Pharsal.* I, 427.

Trojani ducis cujusdam pronepotes habiti sunt. Nam et Galfridus Monumetensis[1] in *Historiâ* suâ *Britonum* et Robertus Vaccius[2], Brutum Britannorum auctorem finxerunt, dum Franci sanguinis auctorem ultimum Francum invenerunt poetæ multi, inter quos, etiam apud recentiores, ipse Ronsardus[3]. Priusquam Parthonopei Blesensis fata narret Dionysius Pyram, quo modo Troja capta fuerit memorat carmineque multo celebrat,

> « Le buen Hector, le bel Paris,
> Troilus, Hélain, Marcomiris[4]. »

Plurima quoque de Alexandro Magno[5], de Hercule, de Philippo carmina notare possem, quæ in *Romanâ materie* jure includuntur[6];

[1] Itaque Chaucerus inter eos qui Trojam celebraverunt illum locat (*The House of Fame*, vers. 381). Hunc *Geoffrey of Monmouth* vocant Angli.

[2] *Roman de Brut d'Angleterre.*

[3] *La Franciade.*

[4] *Partonopeus de Blois*, vers. 150 Edid. Crapelet. Lutet. Parisior. 1834.

[5] Inde Chaucerus :

> « Alisaundres storie is so commune,
> That everie wight that hath discrecioune
> Hath herde somewhat or al of his fortune. »

[6] De Alexandro, apud Germanos, Lambertus (Germano sermone, *Lamprecht*), apud Gallos, Philippus de Chatillon, Lambertus li cors, Alexander Parisiensis, Joannis le Nevelais,

ut vero minus ad propositum veniunt spatiumque et tempus nos amplius de eis dicere vetunt, præcipuas eorum dotes et laudes passim etiam notaturus, eos omittam.

Hugo de Villeneuve, Petrus de Saint-Cloud; apud Anglos Thomas de Kent et permulti alii scripserunt. Herculem, Laudomatam, Philippum, Thebanos duces, Judam Maccabeum, Julium Cæsarem et cæteros, diversi, eodem fere tempore, celebraverunt.

IV

Eo tempore quo fabularum illarum maxime vigebat studium ; quum in Galliâ, in Germaniâ, in Italiâ, in Angliâ, ejusmodi narrationibus, et clericus in monasterio, et eques in castello et plebs in foro publico, delectabantur, sæculo XII, in Devoniâ, Josephus noster natus est[1]. Iscæ primum, humaniores litteras coluit et cum Balduino, stirpe ignobili, in eodem loco orto[2] litterisque ipso peritissimo[3],

[1] « Josephus Devonius sive Iscanus, vel Excestriensis natus est in Devonia.... sed educatus est Iscæ, civitate Cornwalliæ seu Cornubiæ quæ est altera pars Damnoniorum. » Gerardi Joannis Vossii, *de Historicis Latinis*, Libri III, *Lugduni Batavorum*, 1651, 4°, lib. I, cap. LVI, pag. 450.

[2] Vid. Thomas Wright, *Biographia Britannica, Anglo-Norman Period.* 1846. 8°, tom. II, pag. 291.

[3] Permulta enim scripsit, quod notat Lelandus in *Commentariis* suis *de Scriptoribus Britannicis* (*Oxonii*, 1709), cap. CXCVII, *de Thoma Balduino*, pag. 223.

consuetudinem junxit. Amore magno dilexit et patronum amicumque illum semper habuit, quo forsan studiorum consorti olim usus erat. Episcopus Wigorniæ factus, anno Domini 1180, ad primam Cantiæ sedem, a monachis et a rege, anno 1185, vocatus est Balduinus. Josephi vero memoriam non amisit ille, neque a Josepho neglectus fuit; quum enim ab archiepiscopo discedere coactus fuisset poeta noster, ad majorem amici gloriam dies noctesque consumpsit: eo tempore scilicet[1] libros suos, quorum gratiâ nunc a nobis cognoscitur, de *Bello Trojano* scripsit, Balduinoque, laudibus eum celebrans, dedicavit. Ea ille[2]:

In numerum jam crescit honos; te tertia poscit
Insula[3]; jam meminit Wigornia; Cantia discit;
Romanus meditatur apex; et naufraga Petri
Ductorem in mediis expectat cymba procellis.
Tu tamen occiduo degis contentus ovili,
Tertius a Thoma, Thomasque secundus et alter;
Sol oriens, rebus successor, moribus hæres[4].

Venerat in Galliam[5], ad docendas forte, Bene-

[1] De his amplius dicam; vide infra, *Append.* III, pag. 98.

[2] Versus Josephi proferam non ut leguntur in codice manuscripto quem in Nation. Biblioth. inveni, sed ut leguntur apud Dresemium, quod Dresemii librum (*Amst.*, 1702) facillime omnes arcessere possunt.

[3] Vide infra *Addenda*.

[4] Quæ typis nunquam ab editoribus mandata fuerunt; ea invenit in oxoniensi codice et produxit Wilhelmus Burton (*A Commentary on Antoninus.* — *Lond.*, 1658, fol., pag. 252.)

[5] Remis aliquamdiu vixit: « Remis, more solito, moram

dictinis judicibus, litteras[1], et in Geldorensi oppido[2] dein constiterat, annum circa 1180[3].

In amicitiam Guiberti Florinensis abbatis, viri religione scientiâque summâ pervenerat : Josephus enim videtur, quum litteris tum pietate optimi cujusque gratiam et benevolentiam (convenientià quadam et conjunctione naturæ), sibi semper conciliavisse. Apud Geldorenses, procul dubio, quietam dum vitam agebat, a Guiberto, Gemblacenci abbate paulo post facto[4], et a Balduino avulsus, pa-

facio, » scribit ipse Josephus Guiberto Florinensi abbati (*Veterum Scriptorum et Monumentorum.... Amplissima Collectio....* opera D. Edmundi Martene et U. Durand. *Parisiis*, 1724, tom. I colum. 937).

[1] *Histoire littéraire de la France*, tom. IX, p. 88 et 169.

[2] « Dudum te, amantissime, in Geldorensi oppido commorantem cognoscens... » (*Guiberti. abbatis Gemblacencis, ad Josephum scholasticum Epistola.* — Apud Marten, Tom. I, col. 939.)

[3] Marten enim Josephi epistolas, Guiberto, *Florinensi Abbati* missas, annum circa 1180 scriptas fuisse contendit. Contra vero Dionysius Sammarithanus : « Eligitur [Guibertus] abbas Florinensis, non an. 1179, ut quidam volunt, nec ibi quindecim annos et menses octo regiminis exegit... sed, electus post annum 1188. nonnisi quinque annis et mensibus octo, ibidem præfuit ; ut colligimus ex indice Florinensium abbatum et ex charta quam tradimus inter instrumenta. » (*Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa...* opera et studio D. Dionysii Sammarithani. — *Parisiis*, 1715-1786, fol. tom. III. *Abbatiæ Dioecesis Namurcensis*, col. 560.)

[4] « Fratres Gemblacenses illum elegerunt in abbatem suum circa annum Domini 1194 præfuitque annis decem. » (*Gallia Christiana, — ut supra.*)

triæ haud immemor, assiduum laborem et philosophiæ veterumque poetarum studium, solatium habuit carmenque suum condidit.

Quasdam, eo tempore scriptas, epistolas habemus, in quibus, et animo et corpore, quis fuerit Josephus invenimus. Eum elegantem sermone, habitu venustum, ore toto amabilem et lepidum fuisse accipimus. Voce suavi et blandâ, modestis oculis, nobilissimæ mentis indicio nobili vultu, gratiam amicitiamque omnium sibi conciliabat, animos permulcebat et ad benevolentiam alliciebat. Hæc omnia in Guiberti quâdam de Josepho epistolâ :

« Dudum te, amantissime, in Geldorensi oppido commorantem cognoscens, consideratâ vultus tui honestate et venustate, oris gratiâ, elegantiâ sermonis, frontis hilaritate, continentiâ oculorum et gestuum, totius corporis tui moderatione inspectâ, ultra quam credi possit super his delectatus et admirans in juvene tantæ specimen honestatis reperiri, totis te dilectionis visceribus suscipiens, requievit in te spiritus meus[1]. »

[1] *Veterum Scriptorum et Monumentorum... Amplissima Collectio...* opera D. Edmundi Martene, Tom. I, col. 939.

Et alias :

« ... Mirabilem te et imitabilem præbes, oculosque intuentium convertendo in te avolere facis, vocem quoque tuam quibus loqui dignaris gratam et colloquium tuum dulce reddis, et faciem multis decoratam virtutum insignibus desiderabilem exhibes[1]. »

Nec Josephi quidem amicitiâ indignus erat Guibertus; nam, ab omnibus, pietate summâ, mente candidâ, ingenio multo atque vario[2], fuisse dicitur abbas Gemblacensis. De eo Dionysius Sammarithanus in *Galliâ Christianâ* : « Guibertus cognominatus Martini seu Martinus ob devotionem erga S. Martinum, *magnæ sanctitatis probitatis et doctrinæ vir*, *Scripturam Sacram semper habens in manu et ore*, ut habet chron. ms. Gemblacense, *magnus fuit zelator animarum, suæ præcipue*[3]. » Et Mabilonius : « Habitavit in diversis monasteriis, utpote in Galliam profectus bis, in Monasterio Turonensi divo Martino sacro, ubi plurimum diligebatur tum propter ho-

[1] Marten. *Ut supra.*

[2] De ejus scriptis Mabilonii *Analecta* consule, Tom. II, pag. 545.

[3] *Gallia Christiana*, tom. III, col. 560. *Abbatiæ Dioeçesis Namurcensis.*

nestatem morum, tum propter vitam sancti Martini, quam metro composuerat; et Turonensibus obtulerat[1].... »

Cujus etiam erga Sanctum Martinum pietatem haud ignorans Josephus, ei « *Prosam* » de Sancto Martino misit; quod a Mabilonio quoque accepimus[2]. Sed amicitia quam cum Guiberto junxerat, ex epistolis præcipue apparet, quas doctissimum illum Th. Wright haud secus atque universos omnes qui de Iscano scripserunt transivisse miror. Summo solatio, Josepho est scribere : « Hoc sane delectatus beneficio, ait, studiosus insisto, ut illuc devotionis meæ curat epistola, ubi corpore absens, corde semper præsens sum[3]..... Meus quidem animus vobiscum non hospitatur, sed moratur, ut jam vicissim ad nos redire non possit qui nunquam discedit[4]. »

[1] J. Mabilonii *Vetera Analecta*, Parisiis, 1723, *adnotationes ad Hervardi Leodicensis archidiaconi Epistolam ad G. canonicum Laudunensem*, pag. 482.

[2] Codices duo invenit Mabilonius in quibus aliquas reperit a Josepho scriptas epistolas « egregiæ probitatis scholastico, qui Hierosolymam cum Cantuariensi Antistite profecturus, Guiberto prosam de Sancto Martino examinandam obtulit. » Mabilonii *Vetera analecta*, pag. 483.

[3] *Magistri Josephi ad Guibertum abbatem Florinensem Epistola.* Apud Marten, tom. I, col. 936.

[4] Apud Marten. *Ut supra*, col. 937.

Pudorem quoque plane mirificum ostendit : « Quod molestissimum fero, vos vocatis me, magister et domine, et male dicitis, qui nec vestræ sanctitatis servus, ne dicam discipulus merear appellari [1]. »

His tamen submissis et infractis verbis, inflammatos animos juvenilemque ardorem male celabat. Non semper pius, non semper placidam tranquillo in monasterio vitam egerat [2]; naturâ proclivis ad vitia olim fuisse impetusque ad « *mala gaudia mentis* » fatetur habuisse ; hortantibus autem, ut puto, et Balduino et Guiberto, amicissimis, Christum colendum sibi proposuerat. Quæ omnia facile percipi possunt, quum verba illa, eloquendi vi conspicua, audiuntur, quibus et desideria et tædia sua Guiberto nota facit :

« Sane [3] cum ex summâ dilectionis sinceræ fiduciâ vobiscum loquar ut mecum, non erubesco ulcera mea detegere, amico præsertim et medico. Vagus et pollutus cogitationibus

[1] Marten, *ut supra*, col. 936.

[2] « Ceterum quum unus sit magister et Dominus omnium Jesus Christus, *vos qui portatis jugum ejus ab adolescentiâ*, me sanctâ et efficaci orationum vestrarum instantiâ Domino lucrari studeatis ut conservi simus ei servientes cui servire regnare est. » Apud Marten, tom. I, col. 937.

[3] Marten, *ut supra*, col. 937.

distrahor, verborum lasciviam studiosus amplector, opera quæ Deo displicent operor, semperque in deteriora vergens, ut jam me undique pulset mors in domo, mors extra domum, mors in sepulchro. Væ mihi! Quidnam faciam? Quæ munimenta conquiram? Quibus utar consiliis? ut mihi a sanctitate vestrâ singulare præsidium postulans ut pro me Deum implorare velitis, qui impetrare valetis. Scio enim quia valet multum deprecatio justi assidua[1]. »

Bella interdum in « *Infideles* » parabantur jubenteque Henrico II, Giraldo Cambrense comite, Cambriam petiit Balduinus et maximâ cum eloquentiâ, orator summus, de Jerusalem in christianam ditionem redigendâ dixit. Undique igitur ad eum audiendum et nobiles et villani conveniebant, nec, dum loqueretur, a

[1] Epistolarum inscriptio, Abælardi inscriptionibus, quæsitis arcessitisque verbis, haud dissimilis, notanda quoque nobis: « Reverendo domino suo et amico sibi in Christo, singulariter dilecto Guiberto Dei providentiâ abbati Florinensi, Joseph semper suus, ubique suus, totus suus, salutem et se totum ex toto. »

Scribit quidem Heloissa : « Domino suo, imo patri; conjugi suo, imo fratri; ancilla sua, imo filia; ipsius uxor, imo soror, Abælardo Heloissa » (*Epistola* II) Abælardus autem : « Heloissæ dilectissimæ sorori suæ in Christo, Abælardus frater ejus in ipso. » (*Epistola* III.)

lacrymis temperare poterant : « Unde et archiepiscopus, ait Giraldus qui de Balduini itinere scripsit, pluries in illo itinere dicebat nusquam se tot lacrymas quantas apud Haverfordiam viderat, uno die vidisse[1]. » Mortuus est autem paulo post Henricus II : « Finierat enim, Lelandi ut verbis utar, archiepiscopus munus sibi injunctum et plurimus miles, cruce signatus, in armis stabat. At erat Henrici jam tarda ætas, quam paulo post et mors secuta est... » At Ricardus « cui ignescens juvenili in corpore virtus, nihil aliud, sonabat quam Virgilianum illud, *Bella, horrida bella*[2], » bellum statim committendum decrevit.

Galliam vero quum transiret, Jerusalem petens, Balduinus[3], in Josephum tandem iterum incidit, neque amico iter secum ingredi

[1] Geraldi Cambrensis *De Gestis*, lib. II, cap. XVIII.

[2] Lelandi *Commentarii de Scriptoribus Britannicis*, caput CXCVII, *De Thoma Balduino*, pag. 223.

[3] « In 1189, Giraldus [Cambrensis] with archbishop Balduin and Ranulph de Glanville accompanied the king on his last expedition into France. » (Wright, *Biographia Britannica*, 1846, 8°, tom. II, pag. 386.)

« Tempore quoque sub eodem Baldewinus archiepiscopus Cantuariensis celebravit concilium apud Westmonasterium : ibique valedicens fratribus, iter arripuit, Hierosolymitanum magnifice præparatus. » (Matthæi Paris, Monachi albanensis angli *Historia Major*, — *Londini* 1640, pag. 157).

persuadere archiepiscopo difficile fuit. Mæstissimo quidem, sed firmissimo animo, Josephus, dilectissimo Guiberto valedixit. Epistolam habemus in quâ, profecturus, benignissimam et amantissimam simul atque artes exercitationesque virtutum colentem mentem ostendit. Hanc lectori totam adhibere vellem; quum autem spatium vetet, non possum quin illi partes saltem aliquas præbeam : « Loquor sanctitati vestræ, ait ille noster, in perâ et baculo, divinâ vocante et utinam prosequente gratiâ, Jerosolymam cum domino meo Cantuariensi archiepiscopo profecturus. Vos autem quem sincere in Domino et singulariter diligo, mihi cum proficiscimur sic vestra mecum properegrinetur dilectio, ut qui corpore sejungimur, simul copulemur. Summa vero petitionis meæ est, ut me certe vestrum sanctâ orationum vestrarum instantiâ persequamini, ac Deum itineris nostri præceptorem et ducem, pro me magis assidue quam frequenter oretis ; scio enim quod multum valet deprecatio justi assidua. Utinam vos dominum meum, dilectissimum meum videam antequam moriar ! Sed quoniam ignoro utrum vos ulterius in corpore

visus sim, rogo ut cum aliquid scriptorum meorum inter vestra repereritis, Joseph vestri aliquatenus memoria vobis innovetur. Si enim juxta poeticum illud :

> Dormitat si non visu pascatur amico,
> Et non colloquio sæpe fruatur amor.

De recordatione vestri, domine mi, quid fiet, quum me in tam longinquam regionem profecto, nulla de cetero mutuæ visionis seu collocutionis spes resideat?... Obsecro jam quod sine lacrymis non profero, extremum, ut puto, dilecti vestri Joseph vale accipite, et ex munusculis meis, quamdiu vobis ea habere placuerit, firmitatem devotionis meæ erga vos fideli officio recolite[1]. »

His, quam humani fuerit animi, quam puræ sanæque mentis Josephus, facile percipere potes. « *Munuscula* » quæ amico, in memoriam absentis, miserat, de sancto Martino *prosam* forsanque de Bello Trojano poematis sui codicem quemdam fuisse non ignoratur. Profectus est porro, Musâ comite, novum, quod multos post annos ipse condi-

[1] Vid. Marten. *Veterum Scriptorum et Monumentorum..... Amplissima Collectio*, tom. I, col.938.
[2] Vid. Mabilonii *Vetera Analecta*, 1723, pag. 483.

turus erat celeberrimus ille Torquatus Tassus, de Bello Sacro, poema incepturus. Inde Josephus:

Altera sacræ,
Tendo fila lyræ, plectro majore canenda:
Antiochi me bella vocant...[1]

Balduinoque dixerat:

Te sacræ assument acies divinaque bella
Tunc dignum majore tubâ; tunc pectore toto
Nitar, et immensum mecum spargere per orbem[2].

A Josepho in Syriâ adjutum fuisse Balduinum credimus, qui, pietate magnâ mirabilique caritate, posteros ipsum non Urbani subamaram meruisse notam certiores fecit[3]: « Nostrorum partes, ait Godwinus, ibi juvit magnopere concionando, consulendo, pecunias egenis erogando, et morum sanctissimorum exemplo, donec tandem in Ptole-

[1] *De Bello Trojano*, lib. V.

[2] *De Bello Trojano*, lib. I, vers. 49.

[3] His verbis Urbanus Balduino salutem misit: « Monacho feruentissimo, abbati calido, episcopo tepido, archiepiscopo remisso, Urbanus seruus seruorum Dei... salutem. » (Giraldi Cambrensis *Itinerarium Cambriæ*, *Londini*, 1585, 4°, pag. 229.) « Italo hæc verba aceto perfusa, » ait Lelandus (*Commentarii de Scriptoribus Britannicis*, cap. CXCVII).

maidis obsidione morbo correptus gravi, occubuit[1]. »

Quum morbo absumptus fuit patronus, et quum derelicta ab omnibus castra fuerunt, domum rediit Josephus, *Antiocheida*que suam scripsit. Hanc vidit doctissimus[2] ille Cambdenus qui nobis ex eâ versus aliquos tradidit[3]. Nullius vero fuit ab Henrici VIII temporibus poema istud[4] in bibliothecis invenire[5]. De Bello Trojano libri VI, epistolæ

[1] Francisci Godwini... *de Præsulibus Angliæ Commentarius. Cantabrigiæ*, 1743, fol. pag. 80. Vid. quoque Giraldi Cambrensis *Itinerarium Cambriæ*, lib. II, cap. XIV, pag. 229, Lelandi, *Commentarios* de *Scriptoribus Britannicis*, cap. CXCVII, pag. 224, et Matthæi Paris, *Historiam majorem*, pag. 160.

[2] « Doctissimus » præcipue quum de Anglis dicit; minori autem cum curâ de Scotis aut de « *Hibernigenis* » scripsit; quare de eo notissimum illud :

Perlustras Anglos oculis, Cambdene, duobus,
Uno oculo Scotos, cæcus Hibernigenas.

[3] Vide Camden. *Remaines concerning Britaine, but especially England and the inhabitants thereof, Londini*, 1614, 4°, pag. 318.

[4] Notam tantum istam de *Antiocheide* apud Warton invenimus : « Mr. Wise, the late Radcliffe librarian, told me that a manuscript of the *Antiocheis* was in the library of the Duke of Chandos at Canons. » (*The History of English Poetry*, Hazlitt Edit. *Lond.* 1871, tom. I, pag. 229.) Editor autem : « The Ms. of this described by Warton below as having been once in the possession of the Duke of Chandos at Canons, does not seem to have been since recovered. » (*Ut supra*, pag. 227.)

[5] De *Antiocheide*, Lelandus : « Tantum fragmentum magni operis nuper mihi ad manus venit, cum excuterem pulverem et blattas Abbandunensis bibliothecæ; sed ex quo licuit cætera ejusdem carminis, tanquam leonem ex unguibus, æstimare. De

quædam, breve *Antiocheidos* fragmentum, e Josephi operibus tantum exstant. Eum scripsisse, a Baleo accepimus :

« De Bello Trojano,	Lib. VI.
Bellum Antiochenum,	Lib. I.
De Institutione Cyri,	Lib. I.
Panegyricum ad Henricum,	Lib. I.
Nugas amatorias,	Lib. I.
Epigrammata,	Lib. I.
Diversi generis carmina. »	

« Plura etiam præter hæc scripsisse, ait Balæus, eum dubium non est : quæ fortassis temporis iniuria omnino extinxit. Claruit [1]

bello Antiocheno amplius nihil novi, nisi quod ex eo eluceat Josephum fuisse natum Iscæ Domnoniorum ; quam urbem tam exquisite, tam dextere, tam denique magnifice vel ad æthera tollit, ut facile credas Musas ipsas, cum profluenti Helicone toto, vati ea concinenti præsentissimas adfuisse. » (*Commentarii de Scriptoribus Britannicis*, cap. CCXVII.)

[1] Josephum fuisse Burdigalensem archiepiscopum affert Pitseus : « Crescentibus semper pietatis et doctrinæ meritis, principum et magnatum conciliauit animos..... Illius [Baldwini] beneficio, gratia et fauore factus archiepiscopus Burdigalensis..... » (*Relationvm Historicarvm de rebus Anglicis Tomvs primus..... Parisiis*, 1619, 4°, pag. 275). Frustra autem Burdigalensium archiepiscoporum nomina perlegimus ; nullum profecto, eo tempore, Josephum invenimus (*Gallia Christiana*... opera... Dionysii Sammarithani, *Parisiis*, 1715, fol. tom. II, col. 808 et seq.) « Et sane, » ut Vossii verba usurpem, « quam parum credibile est, tantum gratiâ apud Gallos valuisse Cantuariensem præsulem, ut, ejus postulato, hominem anglum facerent archiepiscopum Burdigalensem ? » (Gerardi Joannis Vossii de *Historicis Latinis*, libri III, *Lugd. Batav*. 1651, 4°, lib. II, cap. LVI.

anno salutis humanæ 1210, sub Anglorum rege Ioanne[1]. »

[1] *Scriptorum illustrium maioris Brytanniæ..... catalogus;* autore Ioanne Baleo... Ossoriensi apud Hybernos episcopo. *Basileæ*, 1559, fol.

V

« Habent sua fata libelli, » fataque sua habuerunt Josephi de Bello Trojano libri. Ejus enim scripta, scriptoris post mortem, in oblivionem iverunt; codices paucissimos in bibliothecis invenire erat Josephique nomen memoriâ delapsum videbatur. Omnium porro primus, carmina reperit illius quem « splendidum Britanniæ sidus[1] » vocabat doctissimus iste Lelandus, qui, quum vidisset libellos aliquos de Bello Trojano, auctoris nomen quæsivit, parisiensemque codi-

[1] *Commentarii de Scriptoribus Britannicis,* cap. CCXVII, pag. 236.

cem quum, summâ curâ, perlegeret, ad illud Josephi carmen venit :

Quos superos in vota vocem [1] ?...

et in margine diligentem quemdam scripsisse notavit : « *Supple, ego Josephus*[2]. »

In Germaniâ interdum, de Bello Trojano Josephi libros, quos a Cornelio Nepote scriptos, errore summo dicebant, typis « editores » quidam mandaverunt; permulti idem postea, immodicam Josepho, re ipsâ, laudem præbentes, affirmaverunt. Non solum tamen voces ab Iscano usitatæ Cornelii Nepotis tempus minime demonstrant recentiusque denunciant ævum ; sed etiam quo modo de Arthuro Britonum rege meminisse potuisset Cornelius, vix concipere queo. Id enim libri quinti supra notavimus :

[1] *De Bello Trojano*, lib. I, vers. 28.

[2] « Offendi tertio eumdem libellum et anonymum et sub fine mutilum. Hic ego, quæ mea erat cum homine consuetudo, mutuo libellum petii, et ille dedit. Inde domum divertens, et solicite autoris nomen, adhibito amico, quærens, tandem, ubi ad hoc hemistichium perventum est : *Quos superos in vota vocem*, quidam diligens lector in margine, minutissimis litteris ascripserat : *Supple, ego Josephus.* » *Commentarii de Scriptoribus Britannicis*, cap. CCXVII, p. 236.

Sic Britonum ridenda fides et credulus error
Arturum expectant expectabuntque perenne [1].

Nec minus incredibile Cornelium Cantuariensi archiepiscopo[2] carmen quodvis dedicavisse nobis videtur. Diutius autem, apud Anglos ipsos iste valuit error, dum etiam quidam Joannem Architrenium de Bello Trojano carminis auctorem esse contendebant. Thomas Dempsterus enim : « Sed nec prudentiores Angli [de Arthuro fabulas] vnquam asserere sunt ausi; nec nugacioribus fides adhibenda. Ecce enim Ioannes Architrenius Anglus in eleganti poemate de Bello Troiano, quod falso Cornelio Nepoti adscribitur, et Dareti Phrygio sic ait : « *Et Britonum ridenda fides*[3] ... »

Josepho tandem opus suum, Lelandi gratiâ, restitutum fuit[4] prodiitque curante Samuele

[1] *De Bello Trojano*, lib. III, vers. 472.

[2] Lib. I, vers. 31.

[3] Vid. Thomæ Dempsteri *Apparatum ad Historiam Scoticam*, *Bononiæ*, 1622. 4°, lib. II, cap. XVI, pag. 97.

[4] Non solum autem, de Bello Trojano libros, Josephi esse concedit noster F. Schoell; sed ejusdem etiam, scriptum illud esse quod Dareti Phrygio omnes tribuunt, contendit. Iste enim : « On prétend que nous avons une traduction latine [de Darès] et cette pièce, quoique remplie de solécismes, a été quelquefois mise sur le compte de Cornélius Népos. La vérité

Dresemio : « Vixit porro [Josephus], ait ille Dresemius, seculo, quo bonæ artes et linguæ adverso amne nitebantur, imo, quo literas scire barbaries erat : quo mera foria gargarizare, ut Varro loquitur, seculum erat. Quid ergo mirum, si quid de seculo trahit ; si non omnia Augusteo candore perfundere potuit? imo mirum quod supra sæculum aliquid præstitit[1]. » Quæ vero mihi ab omni parte recta non videntur corrigendaque censeam. Scripsit enim Josephus tempore quo maximum litterarum studium Galliam Angliamque invaserat, sæculoque quod omnium antea sæculorum, politissimum et litteratissimum fore videbatur : scribis nimirum numerosioribus veterum opera describenda præbere

est qu'elle est l'ouvrage d'un certain Joseph Iscanus..... Ce morceau attribué à Darès, n'est pourtant pas une traduction du grec faite par ce Joseph ; c'est le plan ou canevas en prose d'un poème en six chants que cet Anglois a composé sous le titre *De Bello Trojano.* » (*Histoire abrégée de la Littérature Grecque, Paris*, 1813, tom. I, pag. 292.) Hoc parum magno signo esse mihi videtur facileque ostendam. In Nationali enim Bibliothecâ codicem quemdam habemus (cod. 7906 *lat.*) in quo *de Excidio Trojæ* Daretis *Historia*, P. Paris judice, decimo seculo, calamo scripta fuit. Quo modo etiam, quum tam longe a Daretis historiâ absit Josephi carmen, illiam ipsum, ut operi toti quoddam summarium, poemati suo præposuisse Josephum credere possemus ?

1 S. Dresemius *ad Lectorem*.

monachi; populares colligere fabulas easque versibus mandare poetæ; avorum facinora celebrare *Trovatores*; plebs ipsa, spreta miserabilisque, mirifica illa, per Galliam, per Angliam, per Germaniam templa exstruere et ad nubes fere, pietatis sinceræ religionisque maximæ sublime monumentum tollere. Quare « Galliam scriptoribus divitem, » dicebat Radulfus Cadomensis[1] tunc enim Guilielmus a Campellis, Ordericus Vital, Sanctus Bernardus, Suger, Petrus abbas Cluniacensis, Petrus Lombardus, Joannes Sarisberiensis, Abælardus et multi alii floruerunt.

Vixit etiam Josephus eo tempore quo Galfridi de Vinosalvo *Nova Poetria*[2] seu *Ars Poetica*, aut nondum scripta, aut prope ignota poetis leges non imperabat. Inflatum porro dicendi genus tumidumque ille docuit; ampullarum ineptiarumque curiosus, jocos suasit; immodica omnia immodice laudavit, imitandaque (quod nempe multo pejus fuit) sua ipsius exempla scriptoribus præbuit. Hæc

[1] Marten — *Anecd.*, tom. III, pag. 148.

[2] Galfridi de Vinosalvo *Ars Poetica ante quingentos annos conscripta*. Edita... a Polycarpo Leyser, *Helmstadii*, 1724, 4°.

ille de Veneris die quâ mortuus erat Ricardus :

O Veneris lacrymosa dies! o sidus amarum!
Illa dies tua nox fuit, et Venus illa venenum;
Illa dedit vulnus.....
O dolor! O plus quam dolor! o mors! o truculenta
Mors! Esses utinam mors mortua! quid meministi
Ausa nefas tantum? Placuit tibi tollere solem,
Et tenebris tenebrare solum[1]......

Quæ mirans, non potuit Chaucer, faceto lepore solers, quin Veneris diem, ipse celebraturus exclamet :

O Gaufride, dere maister soverain,
That whan thy worthy king Richard was slain
With shot, complainedest his deth so sore,
Why ne had I now thy science and thy lore,
The Friday for to chiden, as did ye[2]?

In fine quoque *Novæ Poetriæ*, mirificis Innocentem Papam laudibus effert Galfridus:

Nec Deus es nec homo, quasi neuter es inter utrumque
Quem Deus elegit socium. Socialiter egit
Tecum partitus mundum. Sibi noluit unus
Omnia, sed voluit tibi terras, et sibi cœlum.
Quid potuit melius? quid majus? cui meliori?
Vel cui majori? Dico minus. Imo vel æque
Magno vel simili.

[1] Nonne in his, benignissime lector, aliquid lepidi illius ingenii quo poetæ quidam ætate nostrâ præstant, invenis?

[2] *The Canterbury Tales*, vers. 15350.

Galfridi quidem ampullæ et verborum quibus poeta iste usus est inanis sonitus et tumor nonnunquam, fateor, nobis Josephi carmen perlegentibus, notanda videntur : dum utique Pyrrhus, obortis tenebris, « incendit raptâ face Pergama primus, » noctem talibus verbis Iscanus compellat :

Nox, fera nox, vere nox noxia, turbida, tristis,
Insidiosa, ferox, tragicis ululanda cothurnis,
Aut satira rodenda gravi, tu sola triumphas,
Tantorum nisus steriles lucrata dierum !
..... pars ignibus enses,
Pars gladiis vitant ignes, casuque gemendo
Incurrit fatum, fati fuga sola timetur[1].

Occiso Priamo, exclamat poeta noster :

Post Zephiros plus lædit hiems, post gaudia luctus ;
Unde nihil melius, quam nil habuisse secundum[2].

Rara autem sunt talia apud eum ; namque Galfridanæ orationis vitia, quantum efficere potuit, vitavit ; subtilis esse voluit ; naturæ studuit ; vera rectaque, honesto animo, aut consectatus est semper aut consectari credidit.

[1] *De Bello Trojano*, lib. VI, vers. 760.
[2] Lib. VI, vers. 804.

VI

Horatiani verbi haud immemor Josephus :

Nec sic incipies ut scriptor cyclicus olim :
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum ;

sapiens, « post tot sæcula et ingenia », ut ait Dresemius, « ob Trojam exercitum ducere ausus, » *ex fumo dare lucem*, nilque *inepte moliri* conatus est :

Iliadum lacrymas, concessaque Pergama fatis
Prælia bina ducum, bis adactam cladibus urbem
In cineres, querimur: flemusque quod Herculis ira,
Hesiones raptus, Helenæ fuga fregerit arcem,
Impulerit Phrygios, Danaas exciverit urbes[1].

[1] Lib. I, vers. 1.

Sic incipit, neque porro Musas, neque Apollinem præfatus, « *sacram veri fidem* » sibi Musam vocat carmineque multo, rotundo ore, pectore toto, summâ cum eloquentiâ, illam celebrat; quantopere enim poetæ plerique fabulis indulgent, tantopere a fictis abhorret:

Ut quid ab antiquo vatum proscripta tumultu,
Veri sacra fides, longum sylvescis in ævum?
An quia spreta lates? mundoque infensa priori
Nos etiam noscenda fugis? mecum inclyta, mecum
Exorere, et vultum ruga leviore resumens,
Phæbeam dignare tubam: sterilisque vetustas
Erubeat, dum culta venis, dum libera frontem
Exeris: en aureis blandas, en pectus amicum
Mulces, vulgarem levius passura cachinnum.
Si nostris nil dulce novum, nil utile visum,
Quod teneri pariunt anni, si secula tantum
Aurea Saturni memorant, et nulla recentis
Gratia virtutis: aude tamen ardua, pubes:
Mento canescant alii; nos mente: capillo,
Nos animo: facie; nos pectore. Tempora certe
Virtutem non prima negant, non ultima donant[1].

Melius, haud dubio, vocibus et verbis, non animo, motu sensuque recentiorum et æqualium causam dixerat Horatius.

Mira quidem dictu, *sed vera,* advertite, pandam,

addit Josephus: illud enim poetam nostrum

[1] Lib. I, vers. 6.

cepit diligentissimum veri assequendi studium, quod apud omnes, temporis ejusdem, scriptores invenire posses. Istud autem studium, fateor, se habere isti ipsi proclamabant, qui fabulas ad libitum fabulis addere ausi, mirificas Alexandri, Caroli vel Arthuri, benignissimo lectori, historias, credulissimo accipiendas animo, adhibebant. Illi tamen, quum Christum colere, precari et venerari solerent, non poterant quin a poetis abhorrerent, qui deos inter homines vitam agentes, in mortales pugnantes, orbisque terrarum fata regentes induxerant. Istud profecto minime desiderandum censebant tempus,

> où le ciel sur la terre
> Marchait et respirait dans un peuple de dieux ;

auctoremque vanum Homerum ducebant. A Benedicto igitur nostro, accusatus est Poeta, quod fictam lectori fictorum numinum præbuisset imaginem ; nec vera assequi potuisset, quum multis annis Trojæ post casum vixisset,

> Car bien scauons sanz nul espoir
> Q'il ne fu pius de c ans née
> Q'li grans ost fu assemblée[1].

[1] Vid. Cod. 60 in Nationali Bibliothecâ, fol. 42, v°, col. 1.

Quare etiam a permultis vituperatum Homerum, in *Famæ Templo* suo, ostendit Chaucerus :

> But yet I gan ful wel espie
> Betwex hem was a litil envye
> Oon seyde that Omere made lyes
> Feynynge in hys poetries,
> And was to Grekes favorable
> Therfor held he hyt but fable.

exclamatque Josephus :

> O variis delusa modis gens credula curæ
> Gentilis ! Risu an lacrymis, an flente cachinno
> Ægypti portenta querar[1] ?

Germanicas autem aut arabicas a recentioribus scriptoribus excogitatas fabulas non solum odio non prosequebantur ; sed eas etiam undique libentissimi colligebant. Daretem Phrygium, quod Homerum vituperaret[2] veraque tantum memorare affirmaret, auctorem summum illi omnes ducebant. Ideo, « vera pandam, » ait Josephus :

[1] Lib. IV, vers. 221.

[2] « Utrum magis vera existiment quæ Dares Phrygius memoriæ commendavit, qui per id tempus vixit et militavit quo Græci Trojanos oppugnarent ; an Homero credendum, qui post multos annos natus est, quam bellum hoc gestum fuisset : de qua re Athenis judicium fuit, quum pro insano Homerus haberetur, quod deos cum hominibus belligerasse descripsit. » (*C. Nepotis Sallustio Epistola.*)

Nam Vati Phrygio Martem certissimus index
Explicuit præsens oculus, quem fabula nescit[1].

Daretis itaque nomen nobis temporis hujus scripta perlegentibus, sæpissime occurrit; solus enim legentium maximam meruisse fidem videtur, nihilominus quam scribentium, qui quum de « *latinis libris* » mentionem faciunt, Daretis Phrygii aut Dyctis Cretensis Annales indicare volunt. Namque ait Benedictus noster :

Or vueil le roumans commencier
Le latin suiurai à la lettre
Nule autre riens ni uodrai metre[2],

et alias :

Li ont faite la sepolture
Si com raconte la sc'pture
Defors la porte de Timbrée[3].

Josephus autem, quoties de diis agitur, toties multâ illos ironiâ lacessit; nihilque, nisi ad irridendos eos quod pertineat, dicenda æstimat. His, quo modo deos homo finxerit, indignanti animo, indicat :

[1] Lib. I, vers. 25.

[2] Cod. in Nationali Bibliothecâ, 60, fol. 42, v°, col. 3.

[3] Cod. 782, fol. 110.

Quippe Deum, *genitore metu*, mens cæca creavit
Ditem umbris, cœlo superos, et numina Ponto [1].

De sacrificiis ait :

Totaque thuricremis Panchaia spirat in aris.
Venales emptura Deos[2]*!*

Alias quoque exclamat :

Desine Cecropii funesta licentia pagi
Incestos generare deos : non fabula cœlum,
Sed virtus non ficta dabit[3].

Non Venerem etiam, non Minervam Junonemque, Josepho si fides habetur, vidit Paris, sed in somnio videre sibi visus est : quod quidem multus est in narrando ipse Priami filius. Refert enim Paris ad propriam ipsarum laudem sermones, qui divini quidem nihil, humani vero multum habent; neque Homeri, sed contra recentioris cujusdam poetæ[4], memoriam renovat. Namque eodem modo quo iste jucundas ridendasque dearum lectori præbet imagines, Junonis, Minervæ et Veneris festivam, ut ita dicam, effigiem no-

[1] Lib. I, vers. 99.
« Primus in orbe Deos fecit timor, » dixerat Petronius.
[2] Lib. III, vers. 10.
[3] Lib. III, vers. 454.
[4] Demoustier — *Lettres à Émilie.*

bis ante oculos ponit Josephus. Risus concitandi notas carpit vias, quum, perinde atque in hominum cœtu concertantes mulieres, deas inducit. Junonem audias de Venere conquerentem :

Tuque, sed o facinus, tunc inquam, prodiga sexus,
Fœmina plus quam jura sinunt; et mollior æquo,
Tunc ergo Venus, ausa venis in præmia formæ?
An nescis cui jura petis communia? Sed quis
Credet? tot Juno similes habet!. ...[1]

dum prudentissima Pallas :

Testor freta, testor Olympum,
Testor humum, non armatas in prælia linguæ
Credideram venisse deas : hac parte loquacem
Erubeo sexum[2].

Quæ sententia quum paulatim, omnium longissimum fieri Minervæ sermonem animadvertimus, minus arguta nobis non videtur. Plane femineas quoque dearum hæsitationes censeo : « Sed taceo[3], » ait Juno; « Erubeo ulteriora loqui[4], » inquit Pallas, Veneris quum historiam breviter narrat; dum ipsa Venus de Minervâ :

[1] Lib. II, vers. 277.
[2] Lib. II, vers. 323.
[3] Lib. II, vers. 309.
[4] Lib. II, vers. 431.

At virgo est; negat Aglaurus, negat anguis opertus•
At taceo [1].

Nil autem dicendo melius apud Demosterium causam suam deam dixisse censeo, quàm apud Josephum, quum, multas tantum post nugas, unicum Veneris ad argumentum venit :

Sic effata, genas rapto depromit amictu :
Nuda humeros, exerta sinus, totoque diescit
Ore : pudet divas Veneri cessisse triumphum [2].

Pariter atque apud Josephum, deos hominum instar loqui, apud alios temporis ejusdem scriptores notare possem : aut mortalium enim principes inducuntur aut regum potentissimi, qui gratis stultisve ab hominibus, forte dei facti sunt. Venerem *reginam* inducit Benedictus a Sanctâ Maurâ [3], regis Æneæ matrem, Virgilianæ illius Veneris longe dissimilem quæ « *vera incessu patuit dea.* » Peritissimus quoque apud illum *faber* est, non deus, Jovis omnipotentis filius Vulcanus; primumque Cretensem *regem* Sa-

[1] Lib. II, vers. 510.

[2] Lib. II, vers. 607.

[3] *Le Roman d'Eneas*. Cod., in Nationali Bibliothecâ, 60.

turnum ipsum fuisse ait Radulfus Lefever[1].

Fabularum illarum veterum loco, ad animos sibi conciliandos, quæcumque sibi in mentem venerunt, accuratissime, quantum potuit, descripta lectori proposuit Josephus; vividissimâque quum locorum tum hominum picturâ longioris tædia narrationis pellere tentavit. Urbe Trojâ[2] multus est in describendâ, multusque primâ in celebrandâ rate tumidum mare aggredi ausâ :

Ergo sequi docilis quas nondum noverat undas,
Tethyos in gremium migrat prærepta Dianæ
Pinus, et e ramis remos habet.....
. . . .
Sed rapit aura ratem. Quonam, quo naufraga tendis?
Quo populos in fata trahis?.....
Delicias lethi quæris[3].

Quod ipse notissimis verbis elocutus erat Horatius :

Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
. . . .
Gens humana ruit per vetitum[4].....

[1] « Comment Saturne fut couronné premier roy de Crete : Et coment il trouua pluiseurs sciences parquoy le pueple le tenoit en honneur comme dieu. » (Codex 59, in Nationali Bibliothecâ, fol. 3.)

[2] Lib. I, *in fine*.

[3] Lib. I, vers 70.

[4] Lyricorum lib. I, 3.

eumdemque animi sensum Ronsardus noster notaturus erat :

Hardy qui le premier le Sapin
Vid ès montaignes et le Pin
Inutiles sur leur racine,
Et qui les tranchant en maint tronc
Les laissa seicher de leur long
Dessus le bord de la marine [1].

Ipso de nautâ dixerat Josephus :

Stat dubius novus hospes aqua, reditumque fu-
[gamque
Ludentis pelagi miratur, et æquora visu
Metitur, patriæque pium consultat amorem :
Virtuti nutu facili cessurus et undis [2].

Nautæ verum, Anglus, non potest quin veniam tribuat :

Sine remigis usu,
Non nosset Memphis Romam, non Indus Iberum,
Non Scytha Cecropiden, non nostra Britannia Gal-
[lum [3].

1 *Les Oevvres de Pierre de Ronsard*, Paris. 1609 fol. ; carmen XXIII, pag. III. Ipse ait Seneca :

Audax nimium qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit ;
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris,
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.
(In *Medeâ*, act. II. Chor.)

2 Lib. I, vers. 83.

3 Lib. I, vers. 188.

Nonne, dum Josephus loquitur, primos virorum, antequam depugnetur, decursus, prospicere posse existimares :

Haud mora, non jussi lituis, non ære vocati,
Conspirant ad bella viri, sed et arma tumultu
Plebs rapit, et vibrans quos non bene noverat enses,
Ingenue irasci discit, multumque minatur,
Sed factura parum : terit hic in frena jugales,
Non longum mansurus eques, raptâ ille superbit
Casside.........
Hi suras riguisse stupent; hi, pondere victi,
In clypeos nutant........
........gemit anxia matrum
Turba[1]....... .

Libenter quoque auro splendidas ædes gemmisque conspicuas, ut æquales poetæ plerique, more arabico, describit Josephus, Virgilianique haud immemor exempli, Teuthræ sepulcrum columnis, signis ectypisque viri imaginibus ornatum ostendit[2] :

Gemmæ quas littoris Indi
Dives arena gerit, aurum quod parturit Hermus,
In varias vivunt species, ditique decorum

1 Lib. I, vers. 308.

2 Guidonis de Columpnis exemplum in his sequi Josephum contendit Warton (*Hist. of Engl. Poet.*, tom. III, pag. 92) quum ipse Guidonem annum circa 1260 librum fatetur scripsisse, Josephumque vidimus de Bello Trojano carmen composuisse ante annum, 1190.

Materiæ contendit opus : quod nobile ductor
Quod clarum gessit, ars explicat, ardua pandit
Moles, et totum reserat sculptura tyrannum.
Prima ducis facies..... etc.[1].

Aurea quoque sepulcra apud Benedictum a Sanctâ Maurâ invenire est :

Dous vasseaus ont appareilliez
Desmeraudes bien entailliez
Tocz plainz de basme et daloes, etc...[2]

Alexandrinum carmine multo tabernaculum describit Lambertus li Cors, mirificumque Hectoris sepulcrum Radulfus Lefever[3] Guidoque de Columpnis[4] spectandum nobis præbent, arabicos potius poetas, quam Virgilium Homerumve imitati.

[1] Lib. IV, vers. 456. Vid. quoque *Æneid.* lib. I, vers. 465 et lib. VI, vers. 20.

[2] Cod. in Nation. Biblioth., 782, fol. 110. Vide quoque « la sepulture dacchilles » fol. 151.

[3] « Et fit faire [le roy Priam] par leur conseil vne très riche sépulture sus quatre coulombes dor esleueez desus la qulle vng moult riche tabernacle dor et de pierres précieuses et aux quatre cornes du tabernacle auoit quatre ymages dor qui auoient samblance dangeles. » (Cod. 59 in Nation. Bibl ; fol. 287)

[4] « Statuerunt eum predicti magistri juxta magnum altare templi predicti, etc. » (*Historia de Bello Trojano, Coloniæ*, 1477, 4°, lib. IV, cap. 11).

VII

Quod si Josephi poema totum explicare hujusque summarium[1] quoddam adhibere vellem, multus in re forsan inutili esse pos-

[1] Quæ tempora casusque Josephi carminibus includantur primi sextique libri *Argumentum* lectori ostendet :

LIB. I

Protinus in Colchos primus liber expedit arma
Argonautarum, rapiunt qui velleris aurum ;
Et parat Æsonidi redeunti prandia lauta ;
Excidium Trojæ sub Laomedonte videbis,
Inde statum et forman graphice depingier urbis.

LIB. VI

Anxia sextus habet dubio certamina Marte,
Cæduntur duces, Sarpedon Deiphobusque,
Troilus et sequitur Palameden, Memnona Achilles,
Et Paris ; urbs capitur ; Priamus rex mittitur umbris,
Fletque Hecuba ; ac Danaum reditum complectitur idem.

sem. Perinde ille noster carmen suum condidit atque alii ejusdem temporis poetæ, qui, quum historiam scribere simul atque carmen exarare intenderent, tum a primo exordio, rem ad ultimum casum ducebant.

Ab ovo itaque incipit Josephus, Jasonis Herculisque facinoribus nobis ante oculos primum positis. Nihil profecto brevitatis aut elegantiæ aut convenientiæ causâ omittendum; nihil plane vanum ad ornandam tantum materiem addendum existimat: minime enim nugis ille indulgere poterat qui *sacram veri fidem* sibi Musam elegerat. « Bis adactam cladibus urbem » celebraturus, quæcumque ad Trojanos casus Græcosque triumphos quodam modo pertineant, ea accuratissime memorat. Historiam et ipse scribendam sibi proposuerat: poeticam sane, at fabulis nunquam, sed ipsissimis contra, mihi si verbum conceditur, factis vividissimoque humanarum rerum nostrorumque dolorum aut lætitiarum sensu, jucundam.

« Si vis me flere dolendum est; » doluitque Josephus quum in mediis armis, inter milites et equos, per castra, per urbem lacrymantes pugnantis viri et parentem et

uxorem et filiam depinxit. Quod si vero Virgilianæ aut Horatianæ dicendi formæ memoria nobis Josephi carmen legentibus haudquaquam occurrit, eum illis tamen in his nonnunquam conferri potest quibus maxime præstant: ingenio scilicet et mente.

Neque etiam veterum opera plane ignorabat, nam imitandi studio aliquoties indulsit. Sententiæ quædam et verba passim in libris ejus sparsa eum pristinorum exemplarium haud immemorem testificantur : Statii vestigia sæpe sequitur dum Virgiliana in his verba agnoscimus :

Fugientibus æquor
Altius intumuit fractique in littore fluctus
Intonuere simul. Procul o procul ite prophani !
Non licet in sanctum cum prædâ tendere pontum [1].

notissimoque Virgilii more, de suscepturo bellum Hercule dicit :

Haud secus exilium gratæ dequestus arenæ
Armenti princeps lunatum robur in ornos
Asperat objectas, et se præmensus in hostem
Otia dura gerit, et prælia pulchra figurat,
Fronte furens, pulsasque pudet non frangere sylvas ;
Inde toro meliore redit, veteremque repulsam
Excusans, victor regnat lauroque superbit [2].

1 Lib. I, vers. 179.
2 Lib. I, vers. 290.

Sic incipit Josephi de Bello Trojano liber secundus :

Jam floret Priamus populoso pignore felix,
Felix conjugio, felix natalibus arvis
Si superi, si fata sinant, si stare beatis
Permissum.

Simili dixerat Virgilius animo :

Et si fata Deum, si mens non læva fuisset,
Impulerat ferro Argolicas tentare latebras
Trojaque nunc stares Priamique arx alta maneres[1] !

Quæ etiam de Cumæâ Sibyllâ scripserat Maro, imitatus est poeta noster :

Claret, interprete vultu,
Extorti vindicta Dei, furiosa potestas
Imbelles artus vexat, cervice rotata,
Crine umbrante humeros, oculis spargentibus ignem
Et facula prodente fidem, nunc livida vitrum,
Nunc flammata facem superat, nunc pallida buxum[2].

At Virgilius :

Cui talia fanti
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comtæ mansere comæ ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument : majorque videri,
Nec mortale sonans, adflata est numine quando
Jam propiore Dei....[3].

1 *Æneid.* Lib. II, vers. 54.

2 Lib. III, vers. 366. Primum carminum istorum claudicare nota.

3 *Æneid.* Lib. VI, vers. 46.

Veterum oratorum etiam haud immemor fuit Josephus, quum ante pugnam, aut in castris aut in urbe, plurima, Homerico more, dicentes viros induxit, quod in his præcipue notabile videtur :

Voluine sub Arcton
Proscripsisse virum? regnat; Fregisse? superbit;
Extinxisse? viget; titulos minuisse? triumphat! [1].

At multo magis laudandus mihi videtur Josephus quum cogitationibus ipsoque animi motu, non verbis tantum, veterum haud immemores nos esse sinit. Tum enim, si dicendi modo ignoveris, dicta solum notans, maximâ cum voluptate Iscanum audies summamque ei, gratissimo animo, laudem tribues. Nonne Horatii Juvenalisque sensus in his invenis :

Felices quos non trahit ambitus! ardua nactus
Non in se descendit honos; non cæca potestas.

[1] Lib. I, vers. 225.

Verbum quoque notissimum de Cicerone memorat :
« Nummus ubi loquitur, Tullius ipse tacet, »

dicens :

Cicerone secundo
Non opus est ubi fantur opes.
(Lib. III, vers. 251).

Quod etiam apud Shakesperium invenire est; namque *pagium* quemdam inducit exclamantem :

Gold were as good as twenty orators!
(*Ricard. III*, act. IV, sc. II).

Quid possit fortuna videt : non perfida sentit
Prosperitas, flevisse humilem, qui ridet in altis.
Parcite, venales quisquis venatur honores,
Unde ruat tabulata struit. Premit ultio noxas
Tunc gravior, cum tarda venit.... [1].

Horatii quoque aut recentioris potius poetæ cujusdam memoria tibi forsan occurret, quum, mortuo Hectore, exclamantem Josephum audies :

Heu ! heu ! quam tenui nutant mortalia filo !
Nil homini fixum : Fortunæ munera blandæ,
Insidias, non dona reor : semperque timebis
Syrenum turbæ simileis, sub sole sereno
Nubem, sub risu lacrymas, sub melle venenum,
Si tibi res, fallit casus : si forma, senectus :
Si vires, morbus : si nomen grande, litura
Postera : et in nullis fati constantia donis,
Ipse etiam has inter tenui virtute procellas
Fretus homo, aut languet moriens aut mortuus aret [2].

[1] Lib. I, vers. 33 :

Numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus.....
(*Sat. X.*)

habemus apud Juvenalem. Parum dissimili dixerat Claudianus animo :

Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror : tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant
(*In Rufinum*, lib. I, vers. 21.)

[2] Lib. V, vers. 511. Ea notissima carmina poetæ illius qui

Ante omnia autem Andromaches somnium, quod ad exemplar Hectorei est, ponam; nihil enim melius scripsit Josephus et nunquam picturâ tam vividâ et ad movendos animos tam aptis imaginibus, lectori ante oculos rem subjecit. In his verus non vulgaris est; tener, non ad concinnitatem compositus; dulcis, non putidus; terribilis, non horrendus, neque meliori quoquam exemplo, quum operis mei ad finem jam propero, qualis fuerit et quantus poeta noster lectori ostendere possem. Ultimam Hectoris venisse diem præsentit Andromache :

Nox erat, et longo defessum Marte jacebat
Andromache complexa virum, cumque aspera belli
Quæsisset, gens utra prior, quæ nomina regum ;
Qui vultus, quid Dardanidæ, quid gesserit ipse

pistor fuit simul atque poeta, Josephi versibus haud dissimilia mihi videntur :

Là, jamais entière allégresse,
L'âme y souffre de ses plaisirs,
Les cris de joie ont leur tristesse
Et les voluptés leurs soupirs.
(*L'Ange et l'Enfant.*)

Tout soleil nait, s'élève et tombe,
Tout trône est artificiel;
La plus haute gloire succombe,
Tout s'épanouit pour la tombe
Et rien n'est brillant que le ciel.
(*Soupir.*)

Egregium, passusne metus, sopita marito
Incubat, et primi nebula cessante soporis,
In veras matura quies purgata figuras,
Dira monet : stabat thalamis junctissima laurus,
Secretos amplexa lares : inimica securis
Hanc a stirpe metit ; rorantes sanguine rami
In stratum geniale cadunt, plura ingerit horrens
Monstra sopor : jacet interdum sine conjuge, toto
Fusa toro, nudos rursus videt oris hiatus
Sanguineos fœdare sinus. Tandem ægra soporem
Rumpit, et horrendis iterat clamoribus : Hector,
Hector ubi ? timidaque manu scrutata cubile,
Ingeminat : Meus, hicne meus ? Lenire pavores
Ille, et adhuc segnes paulatim demere sommos
Cæperat ; illa fidem visis nunc credula donat,
Nunc negat, amissumque putans complexa maritum,
Omnia certa timet, et nil tamen ausa fateri,
Armatum prohibere parat, muliebribus ille
Nil monitis motus, timidi præsagia sexus
Spernit, et impatiens, bellantibus acer, adesse
Poscit equos : tunc vero amens, tunc anxia vocem,
Tollit et occursus omnes rogat, exit et intrat
Incerta, ac parvum matris lamenta stupentem
Astyanacta trahens, calcandum in limine patri
Objicit : Induerat galeam curruque sedebat
Celsior..... [1].

Quam mollis et tener sit animo Josephus Exoniensis, in his notare potes. A minimis profecto, dum hominum mentem nobis demonstrent nunquam abhorret; subtilis est illâ nonnunquam mirabili subtilitate quæ ni-

[1] Lib. V, vers. 423.

hil esse nisi aptissimum quoddam ad grandissima necnon humillima juste explicanda dicendi genus mihi videtur : simplex nimirum Homerus est, dum sublimis. Nempe narrata illa Josephi legendo, eumdem atque Andromache terrorem, dolenti animo, ipsi sentimus et illius anxietatem curasque dolemus quum « timida... manu scrutata cubile, — Ingeminat : Meus, hicne meus[1] ? » Uxorem, matrem, reginam amore quodam vivido amamus, haud secus atque ipsam Virgilii lectores amant, quum, Trojam post captam, adstante Æneâ, eam subito exclamantem audiunt : « Hector ubi est?... »

Elegantem vero emendatamque Virgilii locutionem et incorruptam sermonis integritatem sæpissime non imitatus est Josephus. Longe unus ante alios ejusdem temporis poetas culto politoque dicendi modo, æqualium tamen rude scribendi genus rudiaque verba non projecit. Dum « brevis esse labo-

[1] V. apud Senecam Andromaches somnium. In his amor quo Hectorem amplectebatur præcipue apparet :

Non ille vultus flammeum intendens jubar,
Sed fessus ac dejectus, et fletu gravis,
Similisque nostro, squalida obtectus coma :
Juvat tamen vidisse.

(*Troades*, act. III, vers. 449.)

rat, obscurus fit, » obscurusque præcipue quum Græcis verbis aut a recentioribus fabricatis vocibus utitur. Quibus etiam insolitam aliquoties notionem subjicit: exemplo sit *librare* quod sæpissime in carmine ejus invenire est :

Vix primos belli motus *libraverat* heros...
..... Tensos *librant* in bella lacertos...
Huc, illuc gressum *librans*...
Librato gressu formam juvat... etc.

Illâ etiam insolitâ scribendi formâ usus est quæ paromœon dicitur :

...*au*dit et *au*det
Dux *fa*lli : *fa*tisque *fa*vet quum *fa*ta recuset[1].

... *ar*det et *au*det
*Pr*omissorque ingens, facilis *pr*æsagia *pr*ædæ
Ducit amor[2].
... littore blando
*F*reta *Ph*rygum *pu*bes, *pu*ppes agit : ipse *p*ropinquas[3].

*P*ostquam Helenes *P*aridi *p*atuit *pr*æsentia, classem
Deserit[4]...

Verba, fateor, non convenientia semper legit poeta noster, sed ad carmen exstruen-

[1] Lib. III, vers. 108.
[2] Lib. III, vers. 241.
[3] Lib. III, vers. 214.
[4] Lib. III, vers. 223.

dum aptissima, vocibusque, quod cogitaverat, tum corrumpitur. Claudicantes etiam versus quosdam, etsi, ut in homine qui tali ætate vixerit, eruditissimus fuerit Josephus, in libris de Bello Trojano notare posses :

At æger iniquâ
Suspicione Paris[1].........
Claret interprete vultu
Extorti vindicta dei[2]......
Etc.

Vitia alia permulta indicare potest qui Josephum legit; quæ vero non Josephi sed typographi sunt pleraque; nunquam enim de Bello Trojano carminis accurate emendatam editionem accepimus.

Quum vero poeticâ, ut ita dicam flammâ uritur poeta noster, tum subtilis fit, tum grandis, tum sublimis ; minime obscura scribit et, « *vestigia adorans,* » divinos pristini temporis poetas non longe sequi feliciter conatur.

Hæ fuerunt Josephi laudes, hæc vitia ; eum vidimus vera semper assectatum, mentem

[1] Lib. II, vers. 291.
[2] Lib. III, vers. 366.

pectusque veluti apertum, ut ita dicam, nobis ostendisse; illum scimus veterum haud ignarum, ad tædia vitæ, nobilium narratione, pellenda, scripsisse; qui candidus purusque, ab omnibus dilectus, multosque amore summo ipse diligens, pius, et virtutum exercitationibus haud secus atque humanioribus artibus deditus vixerat: quare merito mihi videtur operis sui judicio, superbus in his, qui tam modestus in aliis fuerat, carminis in fine dixisse:

Vive liber, liberque vige, sed si qua nocebunt,
Disce libens livore nihil sublimius esse.
Cum tibi mordaces obliquent læva cachinnos
Murmura; cum cupient linguis lacerare profanis,
Sis utinam invidiâ dignus, quæ summa lacessit,
Quam pascit, præsens, extremaque terminat ætas!

multoque magis quam Guidonem laude illâ Lydgatiâ haud indignum sese præbet:

... He enlumineth by crafte and cadence
This noble storye with many freshe coloure
Of rhetorik, and many ryche flouer
Of eloquence, to make it founde the bett.

FINIS

APPENDICES

I

Hæ sunt præcipuæ de Bello Trojano poematis Editiones (quorum optimam, etsi *accuratissime recognita* proclametur, mendossimam tamen invenies) :

Daretis Phrygii vetustissimi scriptoris de Bello Trojano, in quo ipse militavit, libri sex, a Cornelio Nepote in Latinum sermonem conversi. Adjunximus Pindari Thebani Iliados Homeri Epitome, et Homeri Ilias a Nicolao Valla et Vincentio Osbopoco politissimo carmine reddita, *Basileæ*, 1558, 8°.

Daretis Phrygii Poetarum et Historicorum omnium primi de Bello Trojano libri sex, a Cornelio Nepote latino carmine donati. *Antverpiæ*, 1608, 8°.

Josephi Iscani, poetæ elegantissimi de Bello Trojano libri sex, hactenus Cornelii Nepotis nomine aliquoties editi, nunc autori restituti et notis explicati..... a Samuele Dresemio Dithmarso. *Francofurti*, 1620, 4°.

Daretis Phrygii poetarum et historicorum omnium primi de Bello Trojano libri VI latino carmine a Josepho Exoniensi redditi, recogniti ac emendati cura et studio J. Mori, *Londini*, 1675, 8°.

Dictys Cretensis et Dares Phrygius de Bello et Excidio Trojæ, in usum serenissimi Delphini, cum interpretatione Annæ Daceriæ. Accedunt in hac nova editione notæ variorum integræ; necnon Josephus Iscanus cum notis Sam. Dresemii. *Amstelædami*, 1702, 8°.

Dictys Cretensis et Dares Phrygius de Bello Trojano, ex editione Sam. Artopoei, cum notis et interpretatione in usum Delphini.....

Accedunt Josephi Iscani de Bello Trojano libri VI, *Londini*, 1825, 8°.

Quasdam minoris pretii editiones indicat Wright in *Biographià* suâ *Britannicà*, pag. 403.

II

DE JOSEPHO EXONIENSI DIXERUNT

J. LELANDUS :

« Josephus, omnium poetarum sui temporis, absit invidia dicto, facile primus, tantæ eloquentiæ, majestatis, eruditionis homo fuit, ut nunquam satis admirari possum, unde illi in tam barbara et rudi ætate facundia accreverit usque adeo omnibus numeris, tersa, elegans, rotunda. Quæ tamen virtus his nostris diebus tam nihil ad immortalitatem profuit, ut paucissimis ne de nomine quidem cognitus sit; tantum abest ut doctorum manibus assidue teratur. » (*Commentarii de scriptoribus Britannicis. Oxonii*, 1709, 8°, pag. 236.)

J. Balæus :

« Josephus Iscæ Deuoniorum alumnus, omnibus numeris elegantissimus, et aureum suo seculo utriusque eloquentiæ flumen, uersus edidit cum antiquitate Romana de palma contendentes. Habent hi uersus suum genium, victurum quidem illum. Tum præterea concinnitate quadam apta, elegantia pura, maiestate iusta, ita tersis adblandiuntur auribus, ut decies repetiti, nisi me uehementer fallit meus affectus, perplacebunt. » (*Scriptorum illustrium maioris Brytanniæ... catalogus, Basileæ*, 1559, fol.)

W. Cambdenus :

« Quo seculo floruit qui hinc oriundus et cognominatus Iscanus, splendissimo ingenio Poeta, cuius scripta ita probabantur, vt ad veterum scriptorum laudem peruenerint. » (*Britannia, sive... Angliæ Scotiæ, Hiberniæ... chorographica descriptio ; Londini*, 1607, 4°, pag. 148).

« We will begin with Ioseph of Excester, who followed our King Richard the first, in

his warres, in the holy land, celebrated his acts in a book called *Antiocheidos* and turned Dares Phrygius so happily into verse, that it hath bene Printed not long since in Germany vnder the name of Cornelius Nepos. » (*Remaines concerning Britaine, London*, 1614, 4°, pag. 317.)

G. J. Vossius:

« Vir fuit latine greceque doctus, et admodum disertus; imo poetarum suo ævo princeps. » (*De Historicis latinis libri III*; *Lugduni Batavorum*, 1651, 4°, pag. 450).

W. Burton:

« Josephus Exoniensis, a man to be compared, not only with the most excellent wits of his own age, but also with any of the ancients, dedicated [to Baldwinus] his book *de Bello Trojano*. » (*A Commentary on Antoninus, London*, 1658, fol., pag. 252.)

Th. Dempsterus:

« Ioannes Architrenius Anglus (i. e. Jose-

phus Exoniensis) in eleganti poemate de Bello Troiano, quod falso Cornelio Nepoti adscribitur et Dareti Phrygio, sic ait.... » (*Apparatus ad historiam Scoticam, libri II, Bononiæ*, 1622, 4°, lib. II, pag. 97.)

PITSEUS :

« Iosephus Iscanus natione Anglus,... vir omni bonarum litterarum lautiore supellectile instructissimus, græcæ linguæ peritissimus, poeta adeo elegans, vt cum optimis quibusque antiquis ingenio et arte conferri suo iure potuerit..... Crescentibus semper pietatis et doctrinæ meritis, principum et magnatum conciliauit animos... » (*Relationvm Historicarvm de rebus anglicis, Tomvs primvs... Parisiis*, 1619, 4°, pag. 275.)

RUTGERUS HERMANNIDES :

« [Exonia] patria Josephi Iscani exquisitissimi ingenii poetæ. » (*Britannia Magna; Amstelodami*, 1661, 12°, p. 352.)

C. E. BULÆUS :

(Eadem fere de Josepho quæ Pitseus dicit.) (*Historia Vniversitatis Parisiensis, Parisiis*, 1665, fol., tom. II, pag. 751.)

J. MORUS :

« Cum igitur, Josephus noster talis sit, vir, nempe, in quo nihil exile aut humile, sed omnia summa sint, illum superfluâ humanitate commendare non mei erit instituti. » (*Daretis Phrygii... de Bello Trojano libri VI... recogniti cura Joannis Mori, Londini*, 1675, 8° ; *ad Lectorem*.)

G. FERRARIUS :

« Surge Pater miseræ sacrâ de nocte ruinæ
Iscani ! Veneres propriosque resumere cultus
Te Mori pia cura jubet. Jam redditus ævum
Exuis, et vestes castas laurosque renatas
Et Chelyn et primæ vultus et membra Juventæ
Induis, Auguriis tandem fruiturus amicis. »

(In Mori editione, 1675, 8°.)

L. MORERI :

« Outre que [Joseph] étoit savant dans les

langues grecque et latine, il passoit encore pour un des meilleurs poëtes de son temps. » (*Le Grand Dictionnaire Historique, Paris*, 1759, 4°, Tom. VI, pag. 379.)

Fabricius :

Josephus Iscanus,... poetarum sui temporis, Lelandi judicio, facile primus. » (*Bibliotheca latina, Hamburgi*, 1734, 8°, Tom. III, pag. 524.)

S. Dresemius :

« Multa egregie, multa concinne, suaviter, ornate dixit, quæ a nullo melius dici possunt : anquire quatuor illas Poetæ virtutes, nervum, numerum, candorem et venustatem invenies. » (*Josephi Iscani... de Bello Trojano libri sex; S. D. ad Lectorem; Amstelædami*, 1702, 8°.)

Th. Warton :

« A miracle of this age in classical composition was Joseph of Exeter... The diction of [the] poem [*de Bello Trajano*] is generally pure, the periods round, and the numbers

***

harmonious; and, on the whole, the structure of the versification approaches nearly to that of polished Latin poetry. » (*The History of English Poetry; London*, 1871, 8°, Tom. I, pag. 226.)

Benedictini :

« [L'Ecole de Gueldre] avait à sa tête... un grand homme de Letres qui a laissé divers écrits de sa façon et qui possédoit encore d'autres qualités, qui le faisoient autant aimer qu'estimer. Il se nommoit Joseph d'Isca ou de Devonshire... — Joseph Iscan... et Geoffroy de Vinesauf... étaient regardés comme d'assez bons poëtes pour leur temps. » (*Histoire Litéraire de la France, Paris*, 1750, 4°, pag. 88 et 169.)

Th. Wright :

« Many parts of Joseph's poem in [six] books on the Trojan war, approach so near the pure taste of the classic ages, that it was printed at first, and passed through some editions, under the name of Cornelius Nepos, until the collation of more perfect ma-

nuscripts restored it to its right author. » (*Biographia Britannica Literaria; Anglo-Norman period, London*, 1842, 8°, pag. 402.)

JOLY :

« Joseph semble avoir voulu faire de son œuvre une réparation poétique à Darès et à Dictys, une protestation contre le succès scandaleux des inventions de Benoit[1], une revendication, au profit du monde savant, d'un sujet qui lui appartenait... S'il raconte la mort d'Achille ou s'il peint Ajax se présentant désarmé au combat, il a vraiment quelque chose de l'accent d'un poëte. » (*Benoit de Ste-More*, 1870-71, Pars I, pag. 449.)

[1] Josephum scripsisse antequam poema suum inceperit Benedictus ostendam. — *Vide infra*, pag. 99.

III

Josephus Iscanus.

Josephi carminis Liber primus,

cum notis nunc primum, juxta codicem manuscriptum in nationali Bibliotheca asservatum, editis.

Legitur apud Warton[1] tres codices manuscriptos, in quibus de bello Trojano Josephi poema insit, superesse : primus asservatur in Vestmonasterii ecclesiâ, secundus in Bibliothecâ Bodleianâ, tertius vero in Magdalenæ Collegio (Oxon.)[2]. Nullum exstantem in bibliothecis Galliæ indicat. Nuper autem, haud immemor Lelandi verborum : « Cum studerem Lutetiæ Parisiorum et bibliothecam Victorianam viserem, idem qui prius libellus, sed mancus etiam mihi

[1] *History of English Poetry*, tom. I, pag. 226, nota 4 (Edit. Hazlitt).

[2] Addit etiam ille, in Hunterianâ bibliothecâ Glasguæ quartum codicem servari in quo Josephi poema Anglicis carminibus redditum invenire est. Nuper vero editus fuit codex iste, curâ Paton et Donaldson qui ostenderunt non Josephi, sed Guidonis de Columna opus ita in anglicam linguam conversum fuisse.

sese obtulit[1], » in Nationali Bibliothecâ codices evolvi qui, ut e catalogi verbis percipi poterat, Daretis opera continebant. Non ignorabam enim Josephi poema sæpe a scribis titulum accepisse : « *Daretis phrygii de bello Trojano libri*[2]. » Et vero, in codice 15015 (*lat.*), Josephi opus inveni ; « mancus » autem est libellus, sicut et ille quem viderat Lelandus : nam deficiunt carminis sextus liber majorque pars quinti libri. Tertio decimo sæculo exaratus fuit codex ille, haud sine erratis, fateor, mendisque ; at Josephi scriptum *ipsissimum*, ut ita dicam, habetur, quum manuscriptus codex cum impressis exemplaribus confertur. Itaque credidi haud sine utilitate fore partem saltem aliquam hujus codicis typis mandare, librumque primum poematis, ad hanc rem transcripsi, et subjeci. Versus plurimos in eo invenire est qui a prioribus editoribus omissi fuerant. Primi enim eorum qui de Bello Trojano libros repererunt, dictionis salubritatem et elegantiam stupentes, « Josephum Iscanum, ut ait Dresemius, Cornelium Nepotem fecerunt. » In primis reverâ editionibus, auctor carminis adhibetur Cornelius Nepos, qui etiam Daretem Phrygium latine reddidisse tum credebatur ; et ad feliciorem fraudis exitum, illa editores

[1] *Commentarii de Scriptoribus Britannicis*, Oxonii, 1709, cap. CCXVII, pag. 236.

[2] « The manuscript at Magdalen College, mentioned by Leland, is entitled Dares Phrygius de bello Trojano. As also Mss. Digby (in Bibl. Bodl.). » Warton, *ut supra*, pag. 227, nota 2.

omiserunt carmina quorum gratiâ pro certo lector habuisset istud poema, non Romæ, sed in Britannia, medii ævi temporibus, conditum fuisse. Ita illi, Balduino cantuariensi archiepiscopo dedicationem omittunt versusque in quibus Hectori Henricum, Anglorum regem, æquiparat. Primus tandem Samuel Dresemius et dein J. Morus Josepho, annis 1620 et 1675, restituerunt carmen de bello Trojano, novæque editiones, his curantibus, factæ fuerunt. Sed juxta atque editores illi qui Cornelio Nepoti opus tribuebant, partes neglexerunt quibus patebat auctorem poematis inter recentiores collocandum esse; partes vero istas in veteribus manuscriptis codicibus tantum invenire poterant. Apud eos itaque, sicut apud primos editores, dedicationem Thomæ Balduino non invenire est, verbumque *Cantia* quo Josephus dioecesim designat cujus archiepiscopus erat Balduinus, convertitur in *Tantia* aut *Pontia*. Ita, apud Dresemium et Morum legitur :

> Quin te Cecropii mentita licentia pagi,
> Et lædant figmenta pater, quo præside floret
> Pontia.

dum in manuscripto codice invenies :

> Quin te cicropii mentita licencia pagi
> Et ledant figmenta pater quo *presule* floret
> *Camcia*.

In eodem Nationalis Bibliothecæ codice 15015, in quo reperi Josephi poema, inveni *notulas* tertio de-

cimo sæculo conscriptas, de isto carmine. Notæ illæ verba et sententias quæ difficilius intelligeret lector explicant et plurima interpretantur a Josepho dicta, quæ in ipsius tempus cadere videntur. Quæ non modo typis nunquam mandata fuerunt, sed etiam ignorata sunt ab universis omnibus scriptoribus qui de Josepho locuti sunt : quare primo libro carminis de Bello Trojano, notulas subjeci quæ in versus illos apte cadunt et paucas tantum omisi facillime intelligenda verba, sine utilitate, excutentes. Titulum habent, in codice, notulæ istæ : « *Incipit commentum super darete frigio*[1]; » et in fine legitur : « *Expliciunt notule phrigii daretis yliados et hec sufficiant.* » Inscribuntur in catalogo codicum manuscriptorum : « *Notule Phrigii Daretis Iliados.* »

Nusquam, in his, auctoris nomen mihi occurrit; at Josephum ipsum commentarium istum composuisse de poemate suo facile crederem. Iisdem enim studiis, quibus dedit operam Josephus, videtur auctor hujus scripti indulgere; illum maxime juvant decreta philosophorum placitaque majorum (quæ numerosa in carmine de Bello Trojano reperies), eaque pluribus verbis semper disserit. Quum de Iscano loquitur, « *auctor* aut *scriptor* talia fecit...[2] » dicit ille, non primâ personâ, fateor, usus; sed frequenter de

[1] Titulum istum non eadem manus quæ notas ipsas, scripsit.

[2] « Presentis igitur scriptor uoluminis.... » (In codice notularum, pag. 1, colum. 1.) « Præsens volumen » est Josephi poema.

semetipsis ita loquuntur auctores. Aliquoties etiam ille primâ personâ utitur et « *ego ipse* » ait, quum nonnullas res a Josepho gestas commemorat. Sit in exemplum carmen istud :

Te sacræ assument acies divinaque bella,

cui notula subjicitur : « Propter dominum suscepta, q. d. in maiori uolumine meo de anthiocia ubi christicole cum gentilibus pugnauere de laudibus tuis sufficientius dicam. » Sæpe etiam carmina non interpretatur, sed potius defendit notarum auctor, et quum interpretatur, tam cæcarum tamque perplexarum sententiarum obscuritatem aliquoties discutit, ut alium quemquam præter ipsum poematis auctorem, ea scripsisse vix credere possem. Quum enim de primâ rate Josephus ait :

Nil illa superbit,
Non auro superos læsit, non rupibus aurum,

de verbis : « non rupibus aurum » scribit qui notulas composuit : « *aurum*, id est aureas deorum imagines, illas illidendo scopulis. »

Quæ quum ita sint, plurima ex hoc scripto accipimus de Balduino, de Henrici II filio et de archiepiscopo qui, ante Balduinum, Cantuariensem sedem occupavit. Hunc tectis verbis (hactenus non interpretatis) vituperaverat Josephus, dicens :

Venales quisquis venatur honores,
Unde ruat tabulata struit; premit ultio noxas
Tunc gravior, cum tarda venit, etc.

Hæc, « *communes loci* » credebantur; sed e notis colligi potest illa de archiepiscopo isto Iscanum dixisse. Legitur enim in libro notularum : « Hic occulte innuit de illo predicto qui simoniace cathedram occupando, fine ignominioso dejectus fuerit, etc. » Istius archiepiscopi, nomine Ricardi, mores his verbis effingit Holinshed : « He was noted to be a man of euill life, and wasted the goods of the church inordinatlie[1]. »

Josephi in Sanctum Thomam Cantuariensem amore monstratur eum non modo in Angliâ sed etiam ex anglicâ stirpe natum : eo tempore enim, Britones tantum, Sanctum Thomam, ex anglicâ stirpe ortum, venerabantur; itaque omni laude cumulare Balduinum credit Josephus, quum eum secundum Thomam vocat:

Tertius a Thoma, Thomasque secundus.

Balduino etiam soli poemata sua Josephum dedicavisse intelligitur, quum codex manuscriptus carminis de Bello Trojano necnon notulæ leguntur. Ad Henricum II contra, ea nostrum composuisse contendunt quidam, inter quos doctissimus vir Joly, qui : « Joseph Iscanus dédie [à Henri II] sa *Destruction de Troie* écrite en vers latins assez purs[2], » dum Warton, qui prius dixerat : « The [epic poem] on the Trojan war is... dedicated to Baldwin archbishop of

[1] *Chronicles*, tom. I, pag. 108 (1586-7). Vide contra Gervasium (*Historiæ Anglicanæ scriptores X*, Lond. 1652, tom. II, col. 1674).
[2] *Benoit de Sainte-More*, Pars I. pag. 80.

Canterbury. » addit : « [Joseph], in a strain of much spirit and dignity addresses king Henry II, who was going to the holy war, the intended subject of his *Antiocheis :*

> Tuque, oro, tuo da, maxime, vati
> Ire iter inceptum, Trojamque aperire jacentem :
> Te sacræ assument acies, etc. [1] »

Hic verum de Balduino locutus est Josephus (ut notularum ipsiusque carminis lectori plane ostenditur — *vide infra*) ; et nusquam Henrici II, in poemate toto, mentionem facit. De rege Anglorum tantum meminisse videtur Josephus, quum in his versibus, qui in fine quinti libri (non quarti ut vult Lelandus) locantur, dicit :

> Tantus in Hectoreas audax decreverat iras
> Tertius Henricus noster, quo rege Britannus
> Major, quo duce Normannus, quo Francus alumno
> Risit, et in bellis gens Martia nacta priorem
> Non illi invidit Bellonam ut Pallada nobis[2].

Henricum autem illum credit Lelandus regem esse

[1] *History of English Poetry*, tom. I, pag. 227 (Hazllitt ed).

[2] Versus isti in manuscriptis solum codicibus exstant. Hæ sunt de sententiâ illa notæ :

« *Hectoreas*; similes hectoreis. — *Tercius*; erant enim hoc nomine nuncupati auus pater et filius. — *Noster*; supple rex. — *Maior britannus*; scilicet anglicus; est enim anglia maior britannia. — *Alumpno*; quia in gallia nutritus erat, continuis insistendo tyrociniis. — *Gens*; gallicana. — *Priorem*; meliorem. — *Duce*; erat enim dux normannie. — *Bellonam*; i. e. militandi preiudicium. — *Ut;* i. e. sicut inuidet. — *Nobis*; anglicis. — *Pallada*; i. e. philosophandi priuilegium q. d. non ei sic inuidebant galli quod preualeret in milicijs, sicut inuident anglicis quod precellunt in studiis. »

qui post Joannem regnavit. Hic enim : « Illud tamen lectorem admonitum volo, nempe libros de *Bello Trojano* post mortem Balduini ad incudem revocatos : id quod ex multis locis, et hoc præcipue apparet, quod in his postremis quarti libri carminibus Henricum tertium, qui secundus Anglorum rex fuit a Ricardo, sub quo mortuus esset Balduinus, cum Hectore conferat :

Tantus in Hectoreas, etc. »

Contra vero crederem Henricum istum esse Henrici secundi filium, qui ab archiepiscopo Eboracensi, anno 1173, rex consecratus est, Henricusque tertius ab inimicis patris ejus vocatus fuit. Ne dubitare quidem licet si notulas consulimus, nam in eis, de verbis « Henricus tertius » legitur : « *Erant enim hoc nomine nuncupati auus pater et filius* » quo manifestissime ostenditur de filio regis Joannis hic non agi, nec non hinc sequitur Josephum carmen suum condidisse, non post annum 1216, quo in regnum pervenit Henricus III ; sed ante annum 1183, quo mortuus est Henricus Junior, Henrici secundi filius. Nihil ceterum « hectoreum » habuit Joannis filius ; nunquam « prævaluit in militiis » (*vide supra* not. 2, pag. 96) ; non « in Gallia nutritus erat, continuis insistendo tyrociniis, » qui, annos decem natus, regnum adeptus erat : hæc autem omnia melius Henrici II filio conveniunt. Illi etiam, sicut et Josepho, summo in odio fuit Ricardus archiepiscopus ; quum enim, ut Gervasii ver-

bis utar, « ad consecrationem [Ricardi] omnia parata fuissent, allatæ sunt in medium literæ Regis junioris, inhibentes sub appellatione sedis apostolicæ ne quis eum vel alium in archiepiscopum promoverit, sine suo assensu qui regni gestabat coronam[1]. » Ricardum « personam minus congruam, » in epistolâ istâ, dicit Henricus qui, de semetipso : « Henricus, Dei gratia, rex Angliæ, etc., ratione regiæ unctionis regnum et totius regni curam suscepimus... »[2].

Dicet verum aliquis ea non inter se, ab omni parte, congruentia videri, quum de futuro in Saracenos bello locutus sit Iscanus in dedicatione suâ Balduino : « Te sacræ assument acies, etc. », et « cruce signati fuerint » reges Angliæ et Franciæ anno tantum 1187, dum ipse Balduinus archiepiscopus cantuariensis factus fuerit anno 1185 : scribit tamen Josephus :

Te tertia poscit
Infula ; jam meminit Vigornia, Cantia discit, etc.

in poemate quod ante annum 1183 compositum fuisse dicitur. At eodem modo quemadmodum illi qui putant carmen scripsisse Josephum post annum 1216[3] respondebo, scilicet poema non scriptum fuisse totum ante annum 1183, Iscanumque solos dedicationis versus istos carmini jam finito, post annum 1187, adjunxisse.

[1] *Historiæ Anglicanæ Scriptores X*, Lond., 1652, tom. II, col. 1674,

[2] *Ibid.*, col. 1425. — Holinshed, Tom. II, sub anno 1173.

[3] Vide supra verba Lelandi, pag. 97.

Josephum ante annum 1183 carmen suum condidisse satis manifestum fecisse credo et simul manifestum feci illum nullo modo Benedicti a Sanctâ-Maurâ poema sibi proposuisse exemplar. Benedictum enim, anno 1184, de Bello Trojano scripsisse monstravit eruditissimus vir Joly [1], qui tamen credidit Josepho notum fuisse Benedicti opus, quum ipse suum componere inceperit. Hæc ille : « La première œuvre étrangère qu'on puisse, je crois, rattacher au succès du *Roman de Troie* est un poëme latin, directement inspiré de Darès et de Dictys, mais dont la naissance a été provoquée sans doute par la popularité de l'œuvre française : *La guerre de Troie...* composée par Joseph d'Exeter... Il ne serait pas difficile de signaler dans l'œuvre de Joseph des rapports avec le *Roman de Troie*. Comme Benoît, il a la prétention de rétablir la vérité dans cette histoire :

> Hactenus Iliacæ questus lamenta ruinæ
> Confusa explicui veteris compendia veri [2].

Comme lui, il met ses héros à cheval, comme lui, il fait de Memnon le roi des Perses. Mais Joseph se tient plus près de ses auteurs. Il semble avoir voulu faire de son œuvre une protestation contre le succès scandaleux des inventions de Benoit, une revendication, au profit du monde savant, d'un sujet qui lui appartenait [3]. »

[1] *Benoit de Sainte-More,* Pars I, pag. 57.
[2] Lib. VI, vers. 959.
[3] *Benoit de Sainte-More,* Pars I, pag. 447.

Quum vero scripserit Josephus antequam poema suum inceperit Benedictus, neque vestigiis ejus ingredi potuit Iscanus, neque Benedictinarum fabularum odio, *vera* solum *pandenda* sibi proponere. Quod vero ad illa attinet quæ communia ambo poetæ habent, notabo tantum ambos, quod traditum fuerat, partim locutos esse.

His tantum addam auctorem notarum nobis, in proœmio quodam, indicavisse quæ causa fuerit cur a Josepho tale opus susceptum sit; illam vero causam silentio prætermittendam non censeo, quum præsertim plane propria sit ætatis.

« Presentis scriptor uoluminis ueram euersionis Troie historiam nonnullis propositam coniecturus eam produxit in puplicum, presertim cum poete ueteres rerum gestarum seriem aut mutatam aut imensam aut diminutam confuderint; dares autem phrigius qui unus commilitantium extitit, qui et primus ysidoro testante legitur fuisse historiographus, hanc historiam in papiris scriptam, stilo ueritatis expressit. Cornelius vero Sallustii Crispi Nepos[1] .... daretis scriptum in archiuis atticis repertum transtulit, illud quoque stilo latino prosaice prenotatum aduunculo suo destinauit. Tercius[2] uero qui hoc opus conscripsit in metrum redegit propositum, ut tam

[1] De modo quo a poetis hujus temporis Sallustii nepos factus fuerit Cornelius Nepos, vide Joly, *Benoit de Sainte-More.* Pars I, pag. 84.

[2] I. e. Josephus Exoniensis.

insignis historie ueritas gratiori loquendi genere suscitatior innotesceret, quod enim uersibus tanquam modulatorie detur, et aurisonat iocondius et presentius memorie redditur. »

Et « intentio » Josephi notatur : « Bina uero procedit intentione, una quam habuit ad opus, secunda quam habuit per opus, ad opus ut historiam que diu latuerat in lucem funderet, per opus : ut operis sui intuentu cantuariensis antistitis sibi gratiam compararet. »

Titulum etiam carminis non esse, ut apud eos qui typis opus mandaverunt : *de Bello Trojano,* accipimus, nam : « Titulus talis est,

Frigii daretis yliados liber primus incipit.

LIBER PRIMUS

N. B. — Rationalibus litteris notæ e codice manuscripto excerptæ, ordinariis vero meæ designantur. In meis, signum D. D. verba designat quæ in Dresemii editione (*Amstel.*, 1702) reperies.

Veterem orthographiam et interpunctionem ubique custodi.

ARGUMENTUM (*a*)

Hoc uolumen sex explicatur distinctionibus, prime continentia hec est : primo profectionem ac reditum argonautarum post raptum uelleris expedit, secundo bellum herculis et troianorum ac laomedontis interfectionem, tertio regressum priami ab orientali phrigia, quarto et ultimo restitutionem pergamorum, et urbis descriptionem, et notandum cum sit autorum commune opus susceptum in tria partiri, scilicet in propositionem, inuocationem et enarrationem, iste medium omittit, scilicet inuocationem. Paganisinum enim incideret, si phebum uel musarum aliquam more aliorum inuocaret.

(*a*) Hoc argumentum a libro notarum produco.

Jliadum[1] lacrimas concessaque pergama fatis
Prelia bina ducum[2] bis adactam cladibus urbem
Jn cineres querimur flemusque quod herculis ira
Esiones raptus helene fugua fregerit arcem[3],
Jnpulerit frigios danaas exciverit urbes[4]
Ut quid ab antiquo uatum[5] proscripta tumultu[6]
Veri sacra fides longum siluescis in euum
An quia spreta[7] lates mondoque infensa priori[8]
Nos etiam noscemda fugis mecum inclita mecum
Exorere[9] et uultum rugua[10] leuiore[11] resumens[12]
Plebeiam[13] (*a*) dignare tubam[14], sterilisque[15] uetustas
Erubeat dum culta[16] uenis[17] dum libera[18] fromtem

[1] I. e. matrum phrigiarum, cum autem tam yliade quam yliades-doluerint, quod erat comune tam uiris quam feminis, attribuit feminis, sexus enim iste ad lacrimas promtior, ad questus pronior, et notanda est differentia inter ylium et ylion, ylium dicitur ipsa ciuitas, ylion uero principale urbis municipium... — [2] Bis enim bellatum est primo ab hercule contra laomedontem, secundo ab atridis contra priamum (*b*). — [3] *Arces*, supple yliacas. — [4] Autor ueram traditurus historiam, ad ipsam rerum ueritatem apostrophat dicens, *Vt quid*, i. e, quare. — [5] Rerum enim serjem confudere cum ueritatis limitem omisere. — [6] I. e. confuso tractatu. — [7] Ab antiquis. — [8] I. e. prioribus scilicet antiquis. — [9] I. e. simul nascamur in noticiam, cum enim opus peruulgatur nomen artificis quesitum innotescit. — [10] Cute. — [11] Quasi diceret lenita ira. — [12] I. e. decentia uultus. — [13] I. e. ignobilem. — [14] Attenuat se ipsum artifex. — [15] Quia mendax et sic inutilis. — [16] Ornata uerbis et sententiis. — [17] In puplicum. — [18] Nil ueritate liberius.

(*a*) Phœbeam (D. D.). — (*b*) Historiam Jasonis, Hesiones, etc., omitto.

***

Exeris[1] en blamdas[2] aures en pectus amicum[3],
Mulces uulguarem leuius[4] passura cachinnum[5]
Si nostris[6] nil dulce nouum nil utile visum[7],
Quod teneri[8] pariant (*a*) annj si secula tamtum
Aurea saturni memorant[9] et nulla recemtis
Gratia virtutis, aude tamen ardua pubes,
Mento canescant alii nos mente capillo
Nos animo, facie, nos pectore tempora certe
Virtutem non prima[10] neguant, non ultima[11] donant
Comque (*b*) duplex etas[12] uarios contendat in vsus
Hec uiget illa iacet, hec pululat, illa fatiscit[13],

[1] I. e. apparens, et notandum quod attribujt ueri tati menbra, cum sit tamen res incorporea, et utatur prosopopea, i. e. formatione noue persone. — [2] *Blandas* tibi. — [3] *Amicum* tibi. — [4] Tolerabilius. — [5] Modernos arguit quibus uetera placent et noua displicent, cum tamen nouitas eque suis inuentis et prodesse possit et delectare (*c*). Jnuitat etiam ad ardua dicens, *o pubes*, i. e. iuuentus. — [6] I. e. modernis. — [7] Aut prodesse uolunt aut delectare poete. — [8] Presentes. — [9] I. e. si ueteres tantum commendant. — [10] Quantum ad iuuenes. — [11] Quantum ad senes, senex erat sillenus et tamen delirus, puer Augustus et tamen prestantissimus, vnde O. Ceraribus contigit ante diem. — [12] Iuuentus scilicet et senectus. — [13] Cum deficit.

(*a*) Pariunt (D. D.). — (*b*) Quod duplex (D. D.).

(*c*) Ævo suo, recentiorum partes tenet Josephus, et Horatii modo, illum vituperat

Qui redit ad fastos et virtutem æstimat annis
Miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.

(*Epist.* II, 1.)

Meonium ne (*a*) senem[1] mirer[2] latium ne uaronem[3] (*b*),
An uatem[4] frigium martem[5] cui cercior[6] index,
Explicuit presens[7] occulus quem fabula nescit
Hunc[8] ubi com biberit auide[9] spes ardua[10] mentis
Quos[11] superos in uota uocem[12] mens emula (*c*) ueri
Proscripsit[13] longe ludemtem ficta poetam
Quin te cicropii mentita licencia pagi[14]
Et ledant[15] figmenta pater[16] quo presule florent

[1] Homerum. — [2] I. e. imiter, simile apud luc. Magnanimo uiuem miratori que catonis. — [3] Quia diuersi susceptam tractauere materiam, sub questione ponit autor quem illorum potius imitetur, an homerum an uirgilium, an dareta qui et frigius fuit et unus militantium extitit. — [4] Quia primus historias scripsit. — [5] Bellum troianorum et gregorum. — [6] Quia nil certius quam id quod oculo conspicimus. — [7] *Presens* dicit quia presentialiter uidit quicquid in bello illo actum fuit. — [8] I. e. dicta hujus. — [9] Ad exequendum propositum. — [10] Arduum enim et difficile est tantum opus expedire. — [11] Quasi diceret nullos, cum enim poetas nolit imitari ficta scribendo. — [12] Inuocem. — [13] Remouit, et merito quia si ficta scriberem, pocius offenderem quam placerem. — [14] I. e. Atheniensis. — [15] I. e. offendat te cycropij dicit, quia apud athenas principali studio uigebat fabularum commentatio. — [16] Nota quod hoc nomen pater quandoque est nota nature, quandoque etatis, quandoque reuerentie, quandoque dignitatis ut hic unde subdit, *quo presule cancia.*

(*a*) Versum istum haud reperire est apud editores. Apud Dres. enim et Morum non : « Meoniumne, etc. » legitur, sed :

Mira quidem dictu, sed vera, advertite, pandam :
Nam vati Phrygio Martem certissimus index
Explicuit præsens oculus, etc.

(*b*) Leg. *Maronem*. — (*c*) Conscia (D. D.). —

Camcia[1] (*a*) et in priscas[2] respirat[3] libera leges
In numerum[4] jam crescit[5] honos, te tercia poscit
Infula[6] (*b*), jam meminit vingornia camcia discit
Romanus meditatur apex et naufragua[7] petri
Doctorem (*c*) in mediis expectat cimba[8] procellis,
Tu tamen[9] occiduo[10] degis contenptus[11] ouili[12],
Tercius a toma[13], tomasque secundus : et una
Discreuit geminum nox interiecta serenum[14] :

[1] Non patrie est cantuaria nomen ciuitatis, set metropolis. — [2] Quibus uigebat tempore beati thome. — [3] Quia compressa erat per priorem. — [4] Prius enim presul erat, aput ciuitatem que dicitur wigornia, secundo archiepiscopus effectus est tertio summus pontifex futurus, vnde dicit, *wigornia meminit*, ut de preterito, *discit*, ut de presenti, *meditatur*, ut de futuro. — [5] Accedit ad laudes eius cuius titulo scribit. — [6] Uestis quedam sacerdotalis est et ponitur hic pro dignitate pontificali. — [7] Propter uitia. — [8] I. e. ecclesia petri cui dominus ait faciam te piscatorem hominum. — [9] Quamuis romana dignitas poscat te pontificem. — [10] Dicitur quum Anglia sita in occidente. — [11] Ita notat esse ambisiosum. — [12] I. e. cura occidentalis ecclesie cuius pastor est. — [13] Ita determinat de quo dicat : *tercius* in successione possessionum, *secundus* in moribus qui annis secundus erat in possessione, prorsus dissimilis erat in morum obseruantia, unde subdit *et una nox* ipse enim non erat lux ecclesie, set potius nox. — [14] Serinitatem, quia medius erat inter beatum tomam et tercium ab illo quorum uterque erat serenitas ecclesie et tranquillitas inoffensa.

(*a*) Apud Dresemium vero et apud Morum : « Quo *præside* floret *Pontia*. » — (*b*) Legitur : *insula*, apud Cambdenum et Burton. Vide infra *Addenda*. — (*c*) Leg. *ductorem*.

Felices[1] quos non trahit anbitus, ardua nactus
Non in se descendit[2] honos[3], non ceca potestas
Quid possit fortuna[4] uidet, non perfida sentit
Prosperitas fleuisse humilem[5] qui ridet in altis,
Parcite[6] sacrilega[7] superos[8] incessere preda (*a*),
Parcite uenales quisquis uenatur honores,
Unde ruat stabulata[9] (*b*) struit, premit (*c*) ulcio noxas,

[1] Quia iste intermedius post infamem honorum adeptionem minus tractabilis existat : ideo dicit *felices quos ambitus*, honoris cupiditas, *non trahit* et quare felices, quia ex quo aris ad honores extollitur sue conditionis inmemor efficitur, unde psalmista, homo cum in honore esset, non intellexit. — [2] Ille in se descendit qui conditionem suam consulit, scilicet quod homo sit qui de cinere et in cinerem reversurus. — [3] Aris honores arduos. — [4] Si fortuna uolet, etc., fiet de rethore consul, si uolet hæc eadem fiet de consule rethor. — [5] I. e. in uno positum, et non est hoc sumptum a uirtute. — [6]Hic occulte innuit de illo predicto qui simoniace cathedram occupando, fine ignominioso deiectus fuerit, ipse enim cum diu in statu pontificis floruisset, in sompnis apparuit ei sanctus thomas uultu terribili dicens, dico tibi quum exurpartor es bonorum ecclesie, ego in brevi extirpabo te (*d*). — [7] Qui enim non intrat per hostium in ouili ouium, hic fur est et latro. — [8] Superos dico quorum ante dominum presentia seruit, quos habet in uero lumine uera dies. — [9] Quasi diceret sibi cumulat precipicium.

(*a*) Istum omiserunt versum priores editores. — (*b*) Leg. *tabulata*. — (*c*) Fremit (D. D.). — (*d*) Idem de isto archiepiscopo, nomine Ricardo, memorat Holinshed (*Chronicles*, tom. II, sub anno 1173). Gervasius contra monachuscantuariensis, magnifice laudat Ricardum, dum de Balduino dicit : « Cum facta Baldewini video, non bona video, non bona sed mala multa referre compellor invitus. » (*Histor. Anglic. Scriptor.* X, Lond., 1652, col. 1675.)

Tunc grauior com tarda[1] uenit, tunc plena timoris
Com terrore caret, blanda[2] nil seuius[3] ira
Com floret miseri[4] felix iniuria uoti,
At tu[5] dissimilis lunge cuj fronte serena[6]
Sanguinis egregij lucrum[7] pacemque litatam
Cinptam(*a*) anima pater[8] ille pius, pius ille sacerdos(*b*)
In curam uenisse uelit, cui cederet[9] ipse
Prorsus, vel proprias letus sociaret habenas,
Hactenus hac[10] (*c*), tuque oro tuo da maxime uati
Ire iter inceptum, troiamque aperire iacentem,
Te[11] sacre assument acies, diuinaque bella[12],
Tunc dignum[13] maiore tuba, tunc pectore toto
Nitar, et inmensum mecum spargere per orbem[14]

[1] Tunc enim timida est pena quando differtur. — [2] Quando differtur uindicta. — [3] In optinendo, quasi diceret tunc quidem precipue timendum est, cum quis iniuriose optinet quod misere optauerit, sicut patet jn epitome spiritualium.— [4] Nichil est felicitate peccantium infelicius, *miseri*, in optando. — [5] Ita secundus post thomam, iniuste sublimatus erat et iuste detcusus. — [6] Non terribili sicut priori. — [7] Libertatem ecclesie quam per martirium lucratus est. — [8] Scilicet secundus thomas. — [9] Resignando tibi ius suum et officium. — [10] Hec sufficiat dixisse de laude tuâ. — [11] I. e. laudes tuas. — [12] Propter dominum suscepta, quasi diceret in maiori uolumine meo, de anthoicia ubi christicole cum gentilibus pugnauere, de laudibus tuis sufficientius dicam. — [13] Quia tunc dignius erit de te loqui ubi de christicolis fiet mentio principaliter. — [14] Accedit ad enarrationem historie, et ordine naturali utitur eius executione, primo enim dicit qualiter argo fabricata [etc.].

(*a*) Emptam (D. D.). — (*b*) Cacumen (D. D.). — (*c*) Hæc (D. D.).

Lvserat omnifice quondam sollercia cure
Innotas mollita rates, aurique[1] cupido
Audendi transgressa modum, trans equora misit
Qui raperent (*a*) talamos[2], spoliarent templa[3] metallis
Siccine mortalis finem[4] metitur hiatus[5]
Egeste sic ditis[6] hopes, quas anbitus audax
Quas predo pallens[7] tigiis (*b*) extorquet ab antris
Sufficiunt ? cui iam satis est quod regna quod urbes
Ipsaque quod pateant rapiendis tartara gazis
Itur in ignotos fluctus, ultroque procellis
Insultare iuuat, et soli vivere fato[8],
Esonides[9] primus undas assumpsit in vsus[10]
Frixeam rapturus ouem[11], cuj laudis alumpnus[12]
Alcides socias in dulxit (*c*) in ardua uires,

[1] Propter aureum uellus. — [2] Propter medeam quam rapuit iason. — [3] Quia in colcos insula in templo quodam erat uellus aureum. — [4] *Finem* habendi. — [5] Cupiditas. — [6] Plutonis, quia ex interioribus terre effodiuntur opes, pluto nil aliud est quam terra. — [7] Qui enim interiora terre rimatur, propter nimiam aeris superni remotionem pallescit. — [8] Ille fato uiuit qui solius fati arbitrio uiuere uel mori credit. — [9] Iason filius esonis. — [10] Nauigandi. — [11] Uellus aureum, nota est fabula de frixo et helle. — [12] Quia laus nutriebat eum, et accendebat iuxta illud, laudata uirtus crescit et immensum gloria calcar habet (*d*).

(*a*) Caperent (D. D.). — (*b*) Stygiis (D. D.). (*c*) Indulsit (D. D.).

(*d*) Idem apud Shakespearium :

One good deed, dying tongueless,
Slaughters a thousand waiting upon that.
Our praises are our wages.
(*Winter's Tale*, I-2.)

Hiis peleus telamonque duces, hijs cetera pubes
Emachie (*a*) : casus pelagi coniurat in omnes,
Pars mirata (*b*) ratem pars fame prona petende[1]
Pars mundm uisura nouum, gentesque remotas
Ergo sequj docilis quas nundum nouerat undas
Thetios in gremium migrat prerepta diane[2]
Pinus, et e ramis remos habet, inque profundum
Ornatu contenpta rudi, plus robore, cultu
Fixa (*c*) minus paccis (*d*) exul peregrinat in armis.
Nundum seua[3] deos obieptare natantes
Religio, nec fluxa sinu tumuere superbo[4]
Carbasa, delicias dat fastidicior[5] usus
Exornatque suum nouitas operosa periclum
Prima inopem pinus cultum quo stabat in emo[6]
Detulit in sirtes[7] (*e*) actor ratis argus et argo
Nauis erat, sed uterque[8] rudis nil illa superbit
Non auro superos lesit[9], non rupibus aurum[10]

[1] Ut fama illorum maior esset, cum primi mare libarent. — [2] Dicitur quia diana domina nemorum est cum sit uenatrix. — [3] Seuum enim est prore uel pupi proscriptos procellis exponere. — [4] Nobili. — [5] Ex nimio alicuius rei usu sumitur fastidium, ad cuius remedium euincunt delicie. — [6] Hemus mons est thessalie unde pinus illa sublata fuit, de qua facta est argo. — [7] Quasi diceret sicut inculta erat antequam cederetur, sic etiam cum in nauem formaretur. — [8] Argus et argo, argus in naue formanda, argo in essensia. — [9] Quia quodam modo niolatur magestas superorum cum per aurum exprimitur vnde persius dicere pontificcs in sacro quidem facit aurum. [10] I. e. aureas deorum imagines illas illidendo scopulis.

(*a*) Æmathiæ (D. D.). — (*b*) Invita (D. D.). — (*c*) Leg. *fisa*. — (*d*) Paucis (D. D.). — (*e*) Fures (D. D.).

Stat dubius nouus hospes aque (*a*) rèditumque fugam-
[que[1]
Ludentis[2] pelagi miratur, et equora uisu
Metitur patrieque pium[3] consultat amorem
Virtuti nutu facili cessurus[4], et undis
Set rapit aura ratem quonam[5] quo naufraga tendis ?
Quo populos in fata trahis ? tene angue[6] uel armis
Patrandum fastidit opus[7] ? scio stedia[8] (*b*) tollis
Delicias leti queris[9] ? nunc utere saxo
Terra[10] potens, atque iniecte suplegadis[11] (*c*) ictu
Nulla prius consumpta refer, ferat ipsa (*d*) cruentum
Quod peperit fatum, primaque superbiat ira
Fata[12] obstant, hominum predatrix atropos arcet
Plus superi quam uota[13] (*e*) queunt, trabs[14] tessala [15]
[diuis (*f*)

[1] I. e. effluxum et refluxum. — [2] Propter has uicissitudines. — [3] Omnes enim naturaliter amant fines suos, scilicet patrios, et inuite recedunt. — [4] Quod facile relicturus propositum insigne, et undas. — [5] Inuheitur in nauem illam quia per illam accessit mors una ratem. — [6] Ueneno. — [7] *Opus* mortis, quasi diceret sufficiunt qui ueneno uel ferro moriuntur homines. — [8] *Tedia* moriendi usitato genere mortis. — [9] Ut scilicet moriendi nouitas accedat gratior, et quandoquidem iam est. — [10] Ad confringendam nauem istam ut ipsa patria in uentis non pereat. — [11] Simplegas pars illa terre fuit que missa erat ad persequendam nauem iasonis, si fides danda fabulis. — [12] Iam quidem opto at fata uotis meis contraria sunt. — [13] *Uota* mea. — [14] Nauis, arcet prohibet ne sic fiat. — [15] Quia in thessalia fabricata fuit.

(*a*) Aqua (D. D.). — (*b*) Leg. tædia. — (*c*) Symplegadis (D. D.). — (*d*) Ipse (D. D.). — (*e*) Fata (D. D.). — (*f*) Divos (D. D.).

***

Presentes[1] quos fecit habet, contemptus in antris
Ypodates[2], in aquis triton, in carcere chorus[3]
Hac rate prerapta (*a*) summos senuisset in annos,
Quippe[4] deum genitore metu, mens ceca creauit
Ditem unbris, celo superos, et numina ponto,
Vix pelagi senxere minas, jamque eole clamant[5]
Eole, tuque dato mulces qui cerula ceptro
Vndarum neptune potens, date numen[6] ituris
Si reduces, meritis numen sacrabitur[7] aris,
Mox certant in vota dei[8], gaudentque vocati,
Hic faciles proclinat aquas, hic euocat anstro
Qui uela in pregnet (*b*) zephirum, qui pulxet ab acta
Nube diem, cursu tandem producta sereno[9]
Labitur in portus frigios ratis, improba pubes
Emicat, et uetita[10] certant tellure potirj,
Fama nocens subitum sichea[11] (*c*) in regna tumultum
Spargit, et insidias populo regique minatur,
Dardana si coeant peregrine ad litora classes
Plex (*d*) excita furit, nec abest quj laomedontem[12]

[1] Benignos fecit quia ante usum nauis, nec inuocabatur eolus, nec uentorum aris nec ipse neptunus, unde dicit *contemptus*, etc. — [2] Eolus. — [3] Uentorum unus est. — [4] Primus in orbe deos fecit timor (*e*), et quo modo non amor? quia *uix*, etc. — [5] Argonaute. — [6] Fauorem uestrum. — [7] Quod in reditu nostro noua uobis templa construemus. — [8] Neptunus et eolus. — [9] Dies nil aliud est quam aer illuminatus per presentiam solis. — [10] A Laomedonte. — [11] Segeum promontorium est aput troiam. — [12] Uires laomedontis.

(*a*) Præreрta (D. D.). — (*b*) Purget (D. D.). — (c) Sigea (D. D.). — (*d*). Leg. *plebs*. — (*e*) Ea dixit Petronius.

Intentet[1] danais vltro ni lictore (*a*) cedant
O superis[2] inuisa manus, sic pignora[3] celj
Consortesque[4] deos, in sirtes[5] cogis an unam
Extimeas gens tanta ratem set ceca quid orres ?
Hvc hospes[6] non ostis adest, cuj monstra potentj
Debentur frangenda manu, reuerete (*b*) tonantem
Vel saltem cognosce hominem[7], si pendimus equum
Si rerum iustis, metitur (*c*) partibus usum
Omne homini commune[8] solum set iura perosus,
Publica sacrilegis naturam[9] barbarus[10] ausis
Contrait[11], et proprios frigiam fariseat[12] in usus
O Asie[13] pollentis opes, o pergama nulli
Tranquillo cessura deo, nil dura[14] sororum[15]
Licia[16], nil superi peccant[17], gens incola fatum[18]

[1] Minetur, intentare est presens malum minarj, portentare futurum. — [2] Inuectio auctoris in barbaros. — [3] Propter herculem et theseum et alios. — [4] Quia adhuc homines set deificandi. — [5] Plus est quam si diceret in mare. — [6] Scilicet hercules. — [7] Quasi diceret humanitatem exibe. — [8] Juxta illud, celum celi domino terra autem dedit filiis hominum. — [9] Dona nature, nec terram natura propriam, nec aera fecit. — [10] I. e. laomedon et sui. — [11] Quasi diceret non patitur communicarj. — [12] Ab aliorum usibus suspendit, diuisius assumit, phares, diuisio interpretatur, unde pharisei quia ab aliis diuisi. — [13] Excusat superos et fata de pergamorum euersione et imputat causam excidij ipsis troianis, non superis uel fatis. — [14] Quia non fragilia. — [15] Parcarum. — [16] Fila. — [17] Peccarent utique si non eam euerterent. — [18] I. e. fatale excidium.

(*d*) Leg. *littore*. — (*a*) Reverere (D. D.). - (*b*) Metimur (D. D.).

Ipsa facit, celo frigius parconte[1] (*a*) meretur
Exilium, gladios incendia pellitur argo
Armatumque[2] iouem mediis exorat in undis
At danai[3] flagrant animis poscentibus arma
Quo rapit ira sequi, gladioque vltore pudendam
Acusare (*b*) fugam, contra prudencia turbe
Rara[4] comes, raro frigiam cum milite pendit,
Excipit ancipites docti tuba[5] nestoris aures
Suspensosque[6] regit, irataque pectora mulcet
O quj magnanimo domuistis remige fluctus
Qui freta, qui uentos primi libastis et astra[7],
Iratum[8] didicistis iter, non nota secuti
Discite dura pati, sola est que conterit hostem
Virtutemque regit paciencia, sola triumphis
Militat innocuis[9], et honeste consulit ire
Est tempus quando[10] locus est ubj ledimur omnes,
Ledimur inmeritj, patimurque indigna priores,
Vt causa meliore fruj, superisque secundis
Marte dato liceat non hec (*c*) in iurja nobis[11]
Set danais[12] facta est, ueniet qui probra[13] suorum

[1] Prius. — [2] Ultorem. — [3] Ita quidem expelluntur. — [4] Quia ubi turba ibi turbatio et sic absentatur prudentia. — [5] Uox. — [6] Suspensus quandoque dicitur numine plenus, quandoque sollicitus, quandoque dubius ut hic. — [7] Ipsi enim primo concursus suos iuxta uentos et astra moderati sunt. — [8] Periculosum. — [9] Innocuus quandoque dicitur qui non nocet quandoque cui non nocetur ut hic. — *Innocuis* indempnibus. — [10] Agendum. — [11] *Nobis* tantum. — [12] *Danais* omnibus. — [13] Probrosam repulsam.

(*a*) Parcente (D. D.). — (*b*) Excusare (D. D.). (c) Hic (D. D.).

Ense suo redimet, sic fatur, et accipit omnes
Delinita[1] thetis, gremiumque exponit ituris
Jam fluctus emensa uagos, jn phasidis[2] undas
Declinat pegasea[3] ratis pelagoque relicto
Pauperiore sinu set liberiore[4] potita
Multa prius metuenda tulit, dum lictore in alto
Discordes agerent (*a*) uentorum (*b*) prelia motus
Inprobus audacj suspendit gurgite pontum
Phasis et obnitens castigat in arua ruentes (*c*),
Cessuram mjseratus humum furit ille feroxque
Pontaneas (*d*) in cestat aquas, bylemque refundit,
In uada blanda suam, dedignaturque teneri,
Ipsa etiamque notis celoque sereno (*e*),
Cum timeas (*f*) hiemes[5] porcus (*g*) angustia notum (*h*)
Nec spatio laxum[6] langet mare, crescit arena,
Consumtura rates, tellusque occulta[7] vadosas,
In cumulum suspendit aquas : mentita profundus,
Fluctuas[8] (*i*)ambiguus tiphis prope litora spectat,

[1] Quasi diceret deflorata. — [2] Phasis fluuius est colcorum. — [3] Uel per caput pegasi insculptum, uel a loco. — [4] Minus procelloso. — [5] Hiemps quandoque nomen temporis, quandoque nomen tempestatis ut hic. — [6] Quanto mare profusius tanto languidius, quanto contractius tanto procellosius. — [7] Quasi diceret uidebatur ibi profunditas ex eleuatione undarum, set non erat, et in his locis contingens frequenter periclitarj. — [8] Dubitat.

(*a*) Ageret (D. D.) — (*b*) Undarum (D. D.). — (*c*) Ruentem (D. D.). — (*d*) Potandas (D. D.). — (*e*) Clandicat versus iste. Eum ita transcripsit D. : Ipsa etiam clausisque notis, etc. — (*f*) Continuas (D. D.). — (*g*) Portus (D. D.). — (*h*) Vovlit (D. D.). — (*i*) Leg. *fluctuat.*

Suspectam formidat humum dicitque timere[1],
Quo tutum sperabat iter timor elicit artem,
Consultura uadum medias minor alnus[2] in undas,
Pellitur, et conto metitur iudice pontum,
Litoris insidie postquam patuere coacto,
Inter utrumque solum decurrens limite puppis,
Arua petita premit fractasque offendit harenas,
Qujd memorem esonide duras incidere (*a*) leges,
Oete[3] imperio? qujd semina[4] iacta? Qujd hostes,
Terrigenas martisque boues seujque dracones (*b*),
Excubias ignis uirtuti cedit et ensis
Eripiturque emptum sommo discrimine uellus,
Neptunum senssisse putes fugientibus equor,
Altius intumujt fractaque in litora fluctus,
Intonuere simul procul, o procul ite profani,
Non licet in sanctum cum preda tendere pontum,
Has nothus haut passus[5] causas instare timoris,
Preripuit uoces, nec iter conssessit in aures,
Nauigat auri como spoliatis uellere colchis,

[1] Illud, scilicet portum *quo*, etc. — [2] Nauis que in maiori est. — [3] Oeta rex erat colcorum. — [4] Dentes serpentis. Nota quod primo oportebat dragonem custodem uelleris sopirj, et interfici, secundo boues martis qui naribus ignem eiectabant ad iugum cogere et arare, tercio dentes serpentis ut semen spargere, quarto cum militibus armatis inde natis bellum conserere, set quia ista forte fabulosa erant, ideo dicit *quid memorem ignis* propter boues, *ensis*, propter terrigenas. — [5] Quasi diceret jta intonuit mare, set uento interposito non potuit uox illa audirj.

(*a*) Incumbere (D. D.). — (*b*) Draconis (D.D.).

Predo potens culpem ne ratem que prima per undans,
Ad facinus molita uias ? atque autropon[1] ausit (*a*),
An causa portiore probem, sine remigis usu,
Non nosset memphis romam non indus hiberum
Non scita cicropiden non nostra britannia[2] gaulum
Primus ab excubiis muntes proreta[3] pelasgos
Anticipat saluare iubens at cetera pubes
Remorum assurgit studio uictrix que carina
Thessalicis reddit quos in freta duxerat aruis
Quis uarios memoret plausus quis gaudia uulgi
Si parcus memjnjsse uelim uel nolle fateri
Vel seriem non nose (*b*) putent, si prodigus auris
Fastidita neget faciles ad singula nutus,
Pelea mjratur reducem larissa, pilonque
Nestor habet, thelamone suo salamjna superbit :
Leda therauneis[4], et fratribus orjtia
Ysmarijs[5] laudatque suum calidonja[6] mater
Oenjden[7], nundum tantum soror[8], orphea traces :
Archades admetum, thalaumque thesea et ydam
Antheumque urbes uarie : sua menia quemque
At peloponnesum[9] cum preda diujte iasoN

[1] Mortem, quia per illam accessit mors una ratem. — [2] Anglia. — [3] *Proreta* dicitur ille qui in prora uigilat.— [4] Castore et polluce, a loco sic dictis. — [5] Propter zetum et ob calaim filios boree et orithie — ysmara promuntoria sunt in sitia. — [6] Altea. — [7] Meleagrum. — [8] Quia adhuc erat et soror et mater, set cum in ultione fratrem filius interfecit matrem exuit. Nota est fabula. — [9] Nomen est opidi.

(*a*) Leg. *auxit*. — (*b*) Posse (D. D.).

Ocupat : insignj lasciujt regia cultu :
Victorjque suo grata plebs obuja uoces
Elicit, et uero dispensat gaudia uultu :
Solus inexplicita peljas[1] sub fromte serena
Jnuidia egrescit sese causatur in omnes
Vota deos consumpta gemjt : martemque lacessit,
Quis (*a*) gratis domjtos tulerit deferuere[2] tauros
Elutata diu rapidis impulsibus ira
In.uerbum singultat atrox questusque superbos
O superi[3] quo thura meant, o fata quis error
Imperat, o homjnum casus paucosne[4] reseruat
Vt multos[5] fortuna premat, iam sentio traxj
Jnuito mea regna deo[6] cape maxime[7] tandem[8]
Quorum fastidit usus regnare negantem
Que longo emisti uoto, tumeas que relictis [9]
Non raptis[10], tenuj certe non sponte deorum
Hisque uelim regnis emptum uicisse tonantem
Me mage si qua fides est uotorum offensa[11] lacessit (*b*)

[1] Pelias iste patruus iasonis, cum eum uniuersis acceptum conspiceret, timens ne a regno per ipsum supplantaretur, illum ad periculosum uelleris raptum destinauit, cumque uictor redisset supra modum indoluit pelias. Maluit enim ut obitum obisset quam redisset. — [2] Denotat priuationem. — [3] Arguit superos de ingratitudine, *fata* de errore, fortunam de obstinatione. — [4] Iasonem et suos. — [5] Nos et alios. — [6] Joue. — [7] Jupiter. — [8] Post longam ambitionem. — [9] Sponte. — [10] Per uiolentiam. — [11] Quasi diceret quid scilicet aliter contigit quam optaueram.

(*a*) Qui (D. D.). — (*b*) Claudicat carmen ; merito scripsit Dres. : « Me mage (si qua fides) votorum, etc. »

Quam sceptri iactura mei, uoluj ne sub arton
Proscripsisse uirum? regnat, et fregisse superbit (*a*)
Extinsisse uiget titulos minujsse triumphat
Ergo deos dita (*b*) ingratos datura (*c*) tonantj
Cum dederis sperata neget donisque reteptis (*d*)
Rideat elusum melius fortuna pianda est[10]
Quæ pacem quæ fulmen habet quæ prima tirannis
Jmperium partita tribus concessit[1] ab egit[2]
Mutato lusit celo[3], rursusque ujdebit
Quos fecit reges mecum migrare sub umbras
Et ioue proscripto saturni lenjet iras.
Sic fatur, diro animam depascitur estu (*e*)
Has tamen has cordis rugas hec prelia mentis
Frontis oliua[4] domat, faciesque dolosa sophistam
Mendicat uultum, et blandos peregrinat in usus,
Gaudia prima ducum sollepnj uisa tumultu
Excipit, at celi[5] predo terreque[6] marisque[7]
Anbitus acceptas uenatur regibus escas
Juno[8] liram uolucrum languescere sentit alumpnos
Equoris emungi[9] thetis dolet, aspera phebe,
Jndignata suj numerum rarescere ciuis
Excubat, ultorem que humerjs accommodat arcum

[1] Joui. — [2] Saturnum. — [3] I. e. rectore celi. — [4] Pax, set oliua dicit quia ramus oliue pacem denuntiat. — [5] Propter aues. — [6] Propter ferinam. — [7] Propter pisces. — [8] Interpretatur enim aer inferior, in cuius tractu spatiantur aues. — [9] Minuj. — [10] Plaganda.

(*a*) Recte scripsit Dres. : « Volui ne sub Arcton — Proscripsisse virum ? regnat ; fregisse ? superbit. » — (*b*) Dico (D. D.). — (*c*) Da thura (D D.). — (*d*) Leg. *retentis*. — (*e*) Recte habet Dres. : « Sic fatur diroque animam, etc. »

***

Venantes uenata ujros, predamque petentes
Jn preda (*a*) petit, et lucos uigilancius (*b*) ambit
Ergo thoros conuina (*c*) premit, donumque[1] dearum[2]
Interpres blandus[3] hilarat deus, humida siccis
Mire concilians, cunctos (*d*) discreta clientes,
Cura agit, hij ceretem (*e*) cumulant[4], hij fercula mutant
Jlli hilares calices iterant, at rege[5] superbo,
Emerjtum[6] libante merum : mensa libus (*f*) herent
Sumissique (*j*) haustum bachi regalis adorant
Has hec opes mense genialis occia cure (*g*)
Dapsilis, hoc grati[7] certamen (*h*) dulce laboris,
Jn columj uirtus delibat sobria gustu,
Non ignaua graui peperere obliuia mentj
Delicie non in sonpnos elangnujt (*i*) ira
Anphitrioniade troia bis ter que resumens
Se uultu[8] reserat animumque his asperat egrum
Ergo iouem meritus cunali marte parentem
Celestes[9] mecum docuj uagire dracones
Preuenjque minas pudet heu vir uictor adultus

[1] Epulas. — [2] Junonis, diane, thetidis. — [3] Quia blande interuenit. — [4] Quia panis pani supponitur. — [5] Pelia. — [6] Tria sunt que commendantur uetustate, aurum uinum ebur. — [7] Tum idem dicit, et est interpretatio, scilicet color rethoricus, quando eamdem sententiam diversis uerbis iteramus. — [8] Est enim uultus uoluntatis interpres. — [9] A celo missos.

(*a*) Prædam (D. D.). — (*b*) Vigilantibus (D. D.). — (c) Leg. *conviva*. — (*d*) Comptos (D. D.). — (*e*) Cererem (D. D.). — (*f*) Leg. *mensalibus*. — (*g*) Recte D.: « Has mensæ genialis opes, hæc ocia curæ, etc. » — (*h*) Certatum (D. D.) — (*i*) Dactylum habet Josephus [e] *languit*. — (*j*) Submissique (D. D.).

Sarulicis cesi (*a*) non uiso milite jussjs (*b*)
Ergo minis frangendus eram proh fata pudenda
Proh, crimen superum fato iunonior (*c*)[1] omnj
Nescio quis fame meritum scidit arma reuulsum (*d*)
Non deerant hostes, i, nunc et prisca reuoluens
Priuignum mirare tuum iouis inclita coniunx
Vicisti fateor fugi uictoria summa
Alciden fugisse fuit rursusne seuerum
Dignare carnificem nostris euristea[2] penis
Silernam domuj (*e*) si cerberus ore trifauci
Jn scopulos dodona tuos achonita refudit
Si grauis antheus gratam suspensus harenam
Dedicit mirare reo[3] (*f*) si cetera mondi
Monstra triumphali potuj consummere dextra
Jn phrigios dicam ne uiros humanaque[4] bella
Depotuisse pudet sed cur clare acta reuoluo
Degenerj graujus accedit gloria[5] facto
Quj pocjus seris gladius quid conferat ausis
Monstrorum domjtor reminjscere pergama penas
Pendant et merjtis periuros[6] perde rujne (*g*)
Sic phebo[7] liquidoque iouj ducture triumphum

[1] Nouercatior. — [2] Iste arbiter erat iunonis qui herculem ad diuersa monstra uincenda mittebat. — [3] Terra. — [4] Quasi diceret cum monstra uinci doleo pudet ab omnibus uinci. — [5] Quia non bene consonat, istud male illud bene. — [6] Respicit ad laomedontem qui phebo et neptuno pactum pro edificatione pergamorum denegauit. — [7] Quia illius et illius uindicabit iniuriam.

(*a*) Barbaricis cessi (D. D.). — (*b*) Jussus (D. D.). — (*c*) Immanior (D. D.). — (*d*) Tenebam (D. D.). — (*e*) Si Lernam edomui (D. D.). — (*f*) Mirante Rhea (D. D.). — (*g*) Leg. *ruinis*.

Sic tibi sic danais docilesque instare pelasgos
Non fugisse sciant qui cum potuere minari
Et potuere pati tacitis sic questibus iram
Exacuens summos animum procudit[1] in ausus
Haud secus exilium grate dequestus harene
Armenti princes (*a*) lunatum[2] robur in ornos
Asperat obiectas et se premensus in hostem
Occia dura gemit (*b*) et prelia pulcra figurat
Fronte furens pulsasque pudet non frangere siluas
Inde thoro[3] meliore redit ueteremque repulsam
Excusans uictor regnat lauroque superbit
Vt (*c*) primos motus belli librauerat heros
Et iam fama loquax rapiens ex aure[4] potentum
Quod ferat in uulgus pauidas quod sparxat (*d*) in [urbes
Prelia mota canit illam ne nocentis auernj
Progeniem celi ne rear que murmura rerum
Extenebrat[5] redditque oculta sicencia (*e*) lucj
Imo quid exsupera (*f*) contendat luce (*g*) creatam
Turbatricemque[6] hominum que facta (*h*) silencia re- [gum
Jn mundi prefert aures et plebis in ora
Dissipat, archanum cure furata silentis
Haud mora non litujs iussi non ere[7] uocati

[1] Extendit. — [2] Propter cornua. — [3] Thorus dicitur pinguedo illa que eminet in ceruice tauri, et hec ponitur pro robore. — [4] Consilio. — [5] Et ideo potest dici progenies celi. — [6] Et ideo progenies auerni. — [7] Precio.

(*a*) Leg. *princeps*. — (*b*) Gerit (D. D.). — (*c*) Vix (D. D.). — (*d*) Spargat (D. D.). — (*e*) Latentia (D. D.). — (*f*) Quis e supera (D. D.). — (*g*) Pace (D. D.). — (*h*) Sancta (D. D.).

Conspirant ad bella uiri sed et arma tumultu
Ples rapit et uibrans quos non bene nouerat enses
Jngemit (*a*) irasci discit multumque mjnatur
Sed factura parum trait hic frena (*b*) iugales
Non lungum mansuetus (*c*) eques rapta ille superbit.
Casside at impaciens captos decrescere uisus
Hii suras rigujsse[1] stupent hii pondere uictj
Jn clipeos nutant pars barbara regna lacessit
Litigjjs audax et citra prelia fortis
Obiecto (*d*) secura freto gemit ansia matrum
Turba nec infaustis solacia mesta querelis
Jre negant lacrime[2] lacrimis certatur et omnem
Excessisse putat flendi parcissima lutum (*e*)
Hec inter medios enses timet[3] illa caripdin (*f*)
Incurit pietas nunquam[4] secura quiescit
Mens o proua uirum non hec suspiria uirtus
In francta (*g*) admittit non dat complexibus artus
Oscula non iterant ne vel si bella morentur
Vix memores dixisse uale mulcetur alumpnus
Fatorum[5] alcides et spe meliore superbis[6]
Assidet inceptis fremitu[7] naualja feruent
Egeosque sinus ter quino remige frangit
Leta choors totidemque mouet per cerula pinus

[1] Propter ocreas. — [2] Quia quodam modo lenitur dolor per nimiam lacrimarum effusionem. — [3] Propter filium. — [4] Exangit utramque quod sequitur. — [5] Quia fata extollebant eum. — [6] Nobilibus. — [7] Nauigantium.

(*a*) Ingenue (D. D.). — (*b*) Terit hic in frena (D. D.). — (*c*) Mansurus (D. D.). — (*d*) Objecta (D. D.). — (*e*) Leg. *luctum*. (*f*) Leg. *Charybdin*. — (*g*) Infracta (D. D.).

At nothus incumbens humeris pupique sequaci
Ducit in obfensa (*i*) symoontis ad hostia (*a*) classem
Pupibus emigrat primus thelamone secundo
Laurisse (*b*) pollentis honos[1] cui cerula nupsit
Nereis non dedignata minores amplexus (*c*)
Mortalemque thorum, quo principe gloria spirat
Myrmidonum, quem tota suis obnoxia factis (*d*)
Dorica castra canunt, danais hic debet achillem
Aiacem telamon, equale in pergama (*e*) fulmen,
Diuidit ergo acies equj libraminis instar
Alcides, pars in frigios armata penates
Jam dictos sortita duces[2], pars iura (*f*) relicte
Classis, disponunt (*g*) cum Nestore parsque secuta
[est (*h*)
Amphitrioniaden, sociis partitur vtrisque
Excubias hinc inde suas, sic agmine trino
Consulitur bello, patrium que armauerat orbem
Principis edictum frigij, ruit omnis in arma
Barbaries, flammis que rates consumere fisus
Et danaos sparsurus aquis, ad littora martem
Dux migrare iubet, paretur et occius omnes
Fluctibus insiliunt, solite nil tale timere
Nereides visa arma stupent, horrentque tumultum
Hij telis instant, alij face, pectora telum

[1] Scilicet peleus. — [2] Pelea et thelamonem.

(*a*) In ostia (D. D.). — (*b*) Larissæ (D. D.). — (*c*) Recte scribit D. : « Nereis amplexus non dedignata minores. » — (*d*) Fatis (D. D.). — (*e*) Prælia (D. D.). — (*f*) Cura (D. D.). — (*g*) Disponit (D. D). — (*h*) Parsque sequuta — Amphitryoniaden (D. D.). — (*i*) Leg. *offensam*.

Fax puppes iniecta petit, cunabula [1]mauors
Cypridis infestat armis, lepnius (*a*) igne (*b*)
Tunc primum bellis rubuit mare, sanguinis illas
Murex hausit opes, quas nudum (*c*) oblitus in annos
Presentes meminit regumque expendit in usus[2]
Scilleos noua preda canes ad funera mesti
Gurgitis inuitat (*d*), coeunt latrantibus undis
Monnstra sinus siculi[3], dehinc hausto nectare[4] diro
Jn freta sparguntur similem uenancia pontum (*h*)
At fremitu accepto nereus excussus ab antris
Mutatis (*e*) horrescit aquis, fontj que relapsus
Nascentem explorat urnam [5](*f*), viso que meatu
Quem genitrix natura dedit, securior exit
Jmo agite[6] inmisso[7] bellum[8] consumite ponto
Dij si qui undarum, rapte que athalante[9] repulso[10]
Euoluantur (*g*) aque, fatis[11] iniuria prima

[1] Scilicet mare quia ex spumis maris et testiculis saturni nata est uenus. — [2] Propter purpuram dicitur. — [3] Quia in mari siculo dominatur silla, et est silla monstrum marinum, ab imagine superius in formam uirginis effigiata, ab imagine inferius in formam canis, et ideo dicit *latrantibus undis*. — [4] Sanguine. — [5] Scilicet scaturiginem maris. — [6] Uerba auctoris.. — [7] Laxato. — [8] Bellantes. — [9] Athlas mons in occidente mari contiguus qui propter sui apicem dicitur sidera sustentasse. [10]— Quasi diceret remotis obstaculis. — [11] Quia fatatum erat quod naues per mare nauigarent.

(*a*) Leg. *Lemnius*. — (*b*) Claudicat carmen. Legitur apud D. : « Cypridis infestat armis, et et Lemnius igne. » — (*c*) Leg. nondum. — (*d*) Mirum forsan videbitur « scilleos canes » tali loco effusum cruorem bibisse. — (*e*) Motatis (D.D).. — (*f*) Lunam (D. D.) — (*g*) Evolvatur (D. D.). — (*h*) Potum (D. D).

Excusanda fuit, an et hos impune furores
Ferre iuuat? misero completus sanguine pontus
Spumat, et inmensum fumat mare, silla caribdin
Excitat, et nostris pinguescunt monstra ruinis
Si neutros[1] superesse ratum, si iudice causa (*a*)
Elicitis penas : frigios periuria mergent
Exemplum scelestis[2] (*b*) danaos, que iam mora seg-
[nes? (*c*)
Pronius[3] in facinus tardis ultoribus itur
Ardua iam trepidis murorum septa cateruis
Jliace trasere manus stat dardana pubes
Pro iugulis armata suis, nec enim inuida regni
Anbicio ludit[4] pugnas, set et ira mine que
Et non extorti[5] per uulnera cruda furores
Bella scient (*d*), hinc inde odiis flammata superbis
Primus in ad uersos librata (*e*) cupide (*f*) muros
Torquet equum peleus, fractaque accenditur ira (*g*)

[1] Gregos et troianos. — [2] Ipsi enim primo naues in usum prede et belli assumpserunt, prede per iasonem, belli per herculem, et sic alijs in idem exemplum dedere. — [3] Quia ex quo peccatum sequitur impunitas peccandi roboratur uoluntas. — [4] Qui enim non propter iniuriam, set propter gloriam, uel regni ambitionem dimicant remissius prelianter. — [5] Sic contingit quando pugiles conductricij in pugnam producuntur, non primo sese odio habent cum uulnera tulerint, unde lu. productos odere pares, hii autem etiam ante congressum capitale tenebantur inimicitia, unde subdit *flammata*, etc.

(*a*) Pœna (D. D.). — (*b*) Sceleris (D. D.). — (*c*) Insegnes (D. D.). — (*d*) Leg. *cient.* — (*e*) Vibrata (D. D.). — (*f*) Leg. *cuspide.* — (*g*) Hasta (D. D.).

Hac ait hospicijs[1] aditus et in hospita tecta
Pulsanti reserenda manu, nos urbe fruemur (*a*)
Portu alıj, dixit, cunctique instare[2] pelasgi
Ceu belli tunc causa recens, nec tempore longo
Jra minor[3] minus accedunt (*b*) jn prelja mentes
Jussa tube, promissa preces, asperrima cernas
Bella geri, non precipites telluris hiatus[4]
Non undas timuere uirj, sibi quisque uiderj
Dux alijs, miles (*c*) sibi pars cratibus instant (*d*)
Contjnuas mollita uias, uallemque profundam
Mollibus iniectis uincit pars aspera cliuj (*e*),
Inpaciens hesisse subit, jam copia murj
Jam silices laxare licet, set desuper urgent
Dardanide incussasque trabes, et saxea uoluunt
Framina (*f*), pars iaculis est audax (*g*), pars aspera [flammis
Fragrantes inuergit aqas, septum arbore dymus
Affectabat iter, fixoque menia uultu
Heserat, hunc latices decaluauere profusi
Fulmineique imbres, nudum spoliatur utroque
Crine[5] capud penetrat que fluens in uiscera uulnus

— [1] Quia laomedon hospitales harenas danais interdixerat. — [2] Jnstabant. — [3] I. e. propter longi temporis interiectum quasi diceret ita accensi erant ac si recens esset iniuria. — [4] Fossarum precipicia, vndas que erant in circuitu murj. — [5] Scilicet capillo et barba.

(*a*) Fruamur (D. D.). — (*b*) Accendant (D. D.). — (*c*) Milesque (D. D.). — (*d*) Instat (D. D.). — (*e*) Divi (D. D.). — (*f*) Fragmina (D. D.). — (*g*) Pars jaculis audax (D. D.).

***

At testudineo[1] talamon (*a*) defensus amictu,
Ocultum furatur iter, silicumque tenorem :
Ere[2] domat, iamque in preceps pendente ruina
Cedit[3], et effracta tandem prior urbe potitur,
Jnterea flamis populari uela parentem (*b*)
Percellit uox clara (*c*) ducem cuj strenue dutor
Dardanidum cui bella geris, ciuesque (*d*) perosus
Monstripari pacem pelagi sanxire laboras
Aut (*e*) pauidis profugisque instas, et ne qua, supertes
Sit fuga consumis classes, proprioribus ausis
Jntendere manus hostes, huc lumina flecte
Atque urbem miserere (*f*) tuam, uix credulus heret
Laomedon cernitque tamen iam pergama rumpi
Stare hostes, nutare friges, rapit ocius agmen
Attonitum, bellique rudis non colligit alas
Set sparsis properat signis, quem prepete gaudens
Excipit occursu tirincius, hisque ait, olim
Cum premerent portus optataque littora fessi
Exilem telluris opem tenuemque negasti
Seue moram, spreta pacis[5] cum fronde minerua[6]
Sume uices, rediit hostis (*g*) qui uenerat ospes
Sic fatur, strictoque ducem transuerberat ense

[1] Testudo dicitur instrumentum bellicum ex clipeis consertis subtermeantium defensioni oportunum. — [2] Ereis fossorijs. — [3] Recedit. — [4] Quasi diceret ne habeant naues quibus fugiant. — [5] Scilicet oliue per quam designatur pax. — [6] Dicitur inuentrix olee.

(*a*) Leg. *Telamon*. — (*b*) Parantem (D. D.). — (*c*) Dira (D D.). — (*d*) Civesne (D. D.). — (*e*) An (D. D.). — (*f*) Miserare (D. D.). (*g*) Hostis rediit qui, etc. (D. D.).

Thoracisque moras, clipejque umbracula (*a*) raptim
Dissipat, atque animam tot defensoribus usam
Elicit, et stigios iubet irrupisse penates
Fit fuga dardanidum mactato principe at hostis
Ciuiles predatur opes, pars cedibus iras
Jnnumeris explere sitit, uox regia tandem
Castigat rapidos danao grasante[1] tumultus
  Parcite uictores danaj, compescite dextras
Lape (*b*) pari peccat[2], pariter crudelis uterque
Qui cunctis[3] parcit et nulli (*c*), nobilis ire (*d*) est
Citra jram punire reos, iam copia regnj
Vrbs cecidit, cessit hostis, cesoque tiranno[4]
Vt miseris faciles[5], graiorum exempla secuti
Esse friges discant, damus ultro rura colonis (*e*)
Castra uiris, portum (*f*) nautis, et ciuibus urbem
At pereat si quis dira de gente superstes
Hanc quoniam delere iuuat, sic fatur, et ecce
Anphitus[6], et sisiphus, uolentus (*g*), et inclita uultu
Hesione, seuis uincti post terga catenjs
Traduntur ducibus, hij dira in funera rapti
Hec thelamon tibi preda datur, quod pergama uictor[7]
Quod prius effractam (*h*) facilem das hostibus[8] urbem

[1] Furente. — [2] Quia si nulli tyrannidem incidit. — [3] Sinplicitate non utiturs et ab utitur. — [4] Laomedonte. — [5] I. e. misericordes. — [6] Filii erant laomedontis. — [7] Facilia ad uincendum quia iam effracta. — [8] Troianorum.

(*a*) Umbramina (D. D.). — (*b*) Leg. *labe.* — (c) Leg. *qui parcit cunctis et nulli.* Scribit vero. D. : « qui cunctis, et nulli, » et claudicat versus. — (*d*) Ira (D. D.) — (*e*) Colono (D. D.). — (*f*) Pontum (D. D.). — (*g*) Hysiphilus, Volcontus (D. D.). — (*h* Prior effractis (D. D).

Jlicet argolici preda hesione que petirj (*a*)
Incumbunt pelago, laurum que insigne triumphi
Pupibus exponunt, penetrantque (*b*) ad sidera plausu
Hinc aberat[1] priamus, aliam seruatur in iram
Fatorum, casusque alios cuj marte secundo
Eoos spoliata (*c*) friges, uictoria leta
Fauerat, et reduci comites plausere triumphi
Dira hominum lachesis sors perfida luditur[2] anceps
Jmperium, priamus natales ampliat agros
Troia ruit sceptroque nouus dum queritur orbis
Sceptri nutat honos, faustos (*d*) in regna[3] meatus
Fata dabant reduci[4], set dira set aspera donis,
Jnuidit fortuna suis, que cum ardua donet
Gustatos grauiore fauos ulciscitur[5] ira
Iam (*e*) urbis trepido cumspectum pectore[6] ductor
Hauserat, occurit luctus, uisumque salutat
E muris manuum plausus, lacrimabilis horror
Aggreditur, turbatque ducem, totamque pererrat
Jnfelix aciems plantus (*f*), stant undique cjues
Solanturque suam priamo ueniente (*g*) ruinam
Ille autem licet interno compluta dolore

[1] Priamus enim ad ulteriorem phrigiam debellandam ierat, et iam eam paterne ditioni tributariam fecerat. — [2] Ludificatur, ibi enim augebatur, hic euertebatur, unde sequitur *priamus*, etc. — [3] Sua. — [4] Priamo. — [5] Penam infert illis quibus ante fauit. [6] — Presagum enim habuit animum de patria euersione.

(*a*) Potiti (D. D.). — (*b*) Pentratque (D. D.). — (*c*) Populata (D. D.). — (*d*) Faustus (D. D.). — (*e*) Jamque urbis (D. D.). — (*f*) Leg. *aciem planctus*. — (*g*) Spirante (D. D.).

Corda gemant, uulgi lacrimas castigat adultas
Vt saltem speret ducis ad solacia uulgus
Nam sume miser est cuj nec sperare relictum.
Nec mora diffusam spaciis maioribus urbem
Jntegrat, at (*a*) pocior construcio[1] barbara grecam[2]
Exclusit themesim (*b*)[3], medicati uulnera murj
Respirant meliore manu, contemptaque[4] moles
Jn seuum (*c*) patuisse aditum, et qua saxa recedunt[5]
Continuant ualue duplices, hec[6] cardine laxo
Alternos pandit aditus, hec robur aceruum (*d*)
Pectjne ferrato[7] tacitos suspendit in usus[8]
Jamque arces cecidisse iuuat, jam machina maior[9]
Et lucro iactura fuit[10], mirabilia (*e*) primas
Propulsura manus[11] pjnnarum climine (*f*) denso
Conspicuos tollent (*g*) apices, nec menia munjt
Rarior[12] excubias[13] turris factura secundas
Celsior insuperas contendens uertice nubes

[1] Edificatione troiana, omnes barbari preter grecos et latinos. — [2] A grecis factam. — [3] Dirutionem murorum. — [4] *Contenta* est *in senum* quia sex erant porte. — [5] Scilicet non continuant muri. — [6] Altera. — [7] Quia ad modum pectinis dentes habet ferratos. — [8] Bellicos et datur in uulgari porta collaticia. — [9] Quam prius fuerit — [10] Quia urbs et amplior et munitior erat quam prius extitisset. — [11] *Manus* assultantium. — [12] Quasi diceret sicut pinne dense ita et turres. — [13] Quia in turribus et pinnis celebrantur excubie.

(*a*) Ac (D. D.). — (*b*) Nemesin (D. D.); legitur *the.* in codice notularum. — (*c*) Leg. *in senum.*; habet autem D. : *sævum.* — (*d*) Acernum(D. D.). — (*e*) Muralia (D. D.). — (*f*) Culmine (D. D.). — (*g*) Tollunt (D. D.).

Jlios[1] equaret gemini discrimina[2] mundi[3]
Si spacio contenpta suo[4] minus improba celo[5]
Parceret, atque alium iam non presumeret orbem
Si flegram[6] conferre uelim (*a*) si uirginis arces
Asirie[7], feret hec pocius discrimina[8] lingue
Tela jouis[9], nulli spaciosior ethere tractus
Contigit, haut tantum paciens includit[10] (*b*) olimpus
Pene pares turres totam sparguntur in urbem
Ciclopum[11] fasse studium, ciuisque superbus
Celsa petens fastidit humum, surgencia passim
Exalant piceas[12] incensa piralia[13] flammas
Ingeri eucalagon (*c*) consumens aera tecto
Arduus alta tenet (*d*), anthenor menibus equis
Certat, et (*e*) inconstans nunc maior[14] nunc minor [egris[15]
Anchises parcit pedibus, gressusque (*f*) perosus

[1] Turris regia. — [2] I. e. esset in media distantia. — [3] Superioris et inferioris. — [4] Sibi congruo. — [5] Superiori mundo. — [6] I. e. cumulationem montium in flegra ualle factam. - - [7] I. e. Semiramidis que erat regina assiriorum et babilonis. ubi edificata fuit turris confusionis, et notandum quod hoc nomen uirgo quandoque est nomen etatis quandoque nomen integritatis. — [8] Diuisiones linguarum quantum ad arcem babilonis. — [9] Quantum ad flegram et quare? Quia *nullj*, etc. — [10] Indulsisse uidebatur cum ei tantum spacij impune permiserit.— [11] Quia maiora edificia ciclopum artificio solent attribuj. — [12] Propter fumum.— [13] Caminj. — [14] Quia ex una parte claudicabat, ex alia non.— [15] Quia claudus erat·

(*a*) Velis (D. D.). — (*b*) Indulsit (D. D.). — (*c*) Ingenti Ucalegon (D. D.).. — (*d*) Petit (D. D.). — (*e*) At (D. D.). — (*f*) Gressumque (D. D.).

E speculis uidet urbis opes, plaususque[1] uiarum.
Haut procul incumbens urbi mediantibus aruis
Ydeus consurgit apex, uerus incola montis
Silua uiret, uernat abies procera cupressus
Flebilis[2], interpres[3] laurus, uaga[4] pinus, oliua
Concilians[5], cornus uenatrix[6], fraxinus audax[7],
Stat comitis[8] paciens ulmus, nunquamque senescens
Cantatrix[9] buxus, paulo pro cliuius (*a*) aruum
Ebria uitis habet, et dedinata latere
Cancicolam[10] (*b*) poscit phebum, uicinus aristas
Pregnantes fecundat ager, non plura falernus[11]
Vina bibit, non tot pascit campania[12] messes,
Proxima rura rigans (*c*) alio peregrinat ab orbe
Visurus troiam simois, longoque meatu
Emeruisse uelit, ut per tot regna tot urbes
Exeat equoreas tandem troianus in undas
Dumque indefesso miratur pergama visu
Lapsurum suspendit iter, fluuiumque moratur
Tardior et totam (*d*) complecti destinat urbem
Suspensis[13] (*e*) infensus aquis uiolentior instat
Nereus, atque amnem cogens procul ire minorem
Proximus accedit urbi, contendere credas

[1] Corheas. — [2] Quia solet funeribus apponi. — [3] Propter febum (*f*). — [4]Quia de pinu fit nauis. — [5] Est enim ramus pacis. — [6] Quia de corno fiunt uenabula. — [7]Quia ex fraxino fiunt lancee. — [8] Propter uites quas sustinet. [9] — Quia de buxo fiunt sistra, scilicet quedam instrumenta musica. — [10] Scilicet feruentem. — [11] Mons uini fecundus. — [12] Terra ferax messis. — [13] Demoratis.

(*a*) Leg. *proclivius*. — (*b*) Canicolam (D. D.). — (*c*) Rigant D. D.). — (*d*) Totum (D. D.). — (*e*) Suspensus (D.D). — (*f*) Leg. *Phœbum*.

Quis propior, sic alterius concurritur undis
Sic crebas jterat (*a*) voces, sic iurgia miscent
Vndique siderej maiestas conflua mundi
Jliacum dignata solum iuga menia, pontum
Vestit, et astrifero dat respiramina collo[1]
Ydeos cibile (*b*) colles colit, ipsa superbis
Regnatura iugis reliquos tibi delia saltus
Donat, et ydeis pensat uenatibus orbem
Pampineum te bache nemus te spicea cingit
Silua ceres, neptunus agas, naualia phebus
Arces pallas habet et habetur pallade fatum[2]
Est sacer urbe locus media, modicumque laborat
Jn tumultum (*c*) pigmeus apex, qam (*d*) surgere plene
Quam (*e*) plane residere neges, hec celsa superbi
Fulgurat ara iouis, non ceptro et fulmine nudj[3]
Non qualem tirius[4], non qualem predicat indus.

Explicit primus liber.

[1] Athlantis. — [2] Propter palladium dicitur de quo secundum fabulas fatatum erat quod quamdiu haberetur a troianis, urbs euerti non posset. — [3] Quasi diceret erat ymago iouis in maiestate regia, habebat enim et sceptrum et fulmen. — [4] Aput tirios colitur in specie taurj propter europam, aput indos in specie arietis, propter dionisium bachum, cui ab india redeunti cum sitiret exercitus apparuit iupiter in specie arietis, et terra pede percussa fontem produxit potabilem.

(*a*) Leg. *crebras iterant.* — (*b*) Cybele (D. D.). — (*c*) Cumulum (D. D.). — (*d*) Quem (D. D.). — (*e*) Quem (D. D.).

ADDENDA

Pag. 32, lin. 6. — Haud breve temporis spatium Josephi vitam complexam esse credit J. Morus : « Josephus, ait, cognomento Iscanus, natus est in sæculo undecimo, in urbe Isca.... Mortuus est Josephus Monachus Iscanus anno (circiter) 1224. (In Editione suâ de Bello Trojano poematis. — *Ad Lectorem.*)

Pag. 33, lin. 17. — *Insula :* « Templa etiam Insulas dixere Ecclesiastici scriptores, quod ab aliis ædibus undique sejuncta essent. » (Forcellini, *Totius Latinitatis Lexicon* et Rob. Stephani *Linguæ Romanæ Thesaurus*, 1749.) *Insula* legitur apud Burton et Cambdenum ; at *infula* invenitur in codice 15015 nationalis Bibliothecæ. Vide supra, pag. 106.

Pag. 43 not. 1. — Versus istos in manuscriptis codicibus tantum aut in Lelandi Commentariis de Scriptoribus Britannicis (cap. CCXVII) invenire est.

Pag. 46, lin. 1. — Annus quo mortuus est Josephus non indubitate cognoscitur ; poetam nostrum post annum 1223 obiisse credit Cambdenus.

Pag. 63, lin. 3. — Claudicat versus iste ; ita vero legitur in Parisiensi editione, 1609, fol. Legendum est, procul dubio : « Hardi qui premier le Sapin. »

Pag 73. — Longe absunt a Josephi venustate et dignitate, quum idem Andromaches somnium narrant et Guido de Columna et poeta iste qui in anglicam linguam Guidonis opus transtulit ;

Of Andromaca drem I dresse me to telle,
How hir noyet in the night, er thai to note yode, etc.
(*Early Engl. text Soc.* 1869, Ed. Paton et Donaldson. — *The xxj boke.*)

dum Guido : « Andrometa vxor hectoris... de hectore vidit in somno satis terribilem visionem.... etc. » (Lib. IV, cap. X.)

Pag. 89. — Vide quoque J. Prince, *Worthies of Devon*, Exeter, 1701, fol.; Washington Irving, *The sketch Book* (*The mutability of Literature*); Shaw, *History of English Literature*, London, 1876, 8°, pag. 24, etc.

VIDI AC PERLEGI :

Lugduni, die XXIX mensis Martii MDCCCLXXVII,

LITTERARUM FACULTATIS IN ACADEMIA LUGDUNENSI DECANUS,

G. A. HEINRICH.

TYPIS MANDETUR :

LUGDUNENSIS ACADEMIÆ RECTOR,

DARESTE.

INDEX

De josepho exoniensi.

FINIS

Lutet. Parisior., ex typis N. BLANPAIN, viâ Jeanne, 7.